



Harries, Tragici Graeci qua arte usi sint in describenda insania


1837
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
CIRCUMSPICE

Tragici Graeci qua arte usi sint in describenda insania.

Dissertatio Inauguralis

quam

auctoritate amplissimi philosophorum ordinis

in Academia Kiliensi

ad summos in philosophia honores adipiscendos

scripsit

Hermannus Harries

Holsatus.

Adversariorum partes suscipient:

Curtius Ferber, Dr. phil.
Hans Meyersahm, Dr. phil.
Ericus Klostermann, cand. phil.

LEIPZIG

Verlag von Gustav Fock.

MDCCCLXXXXI.

1891

Rectoratsjahr 1891/92.
No. 8.

Imprimatur:
Prof. **J. Lehmann**
h. t. decanus.

BRUNSIO

pietatis causa.

Insaniae a poetis tragicis tractatae duo sunt genera eaque diversa, alterum Ionis et Orestis, alterum Aiacis Herculisque. Nec difficile, quomodo differant, intellegitur. Nam Aiax et Hercules mente destituti alios persequuntur, Orestes vero et Io propter id ipsum, quod ab aliis agitantur vel agitari sibi videntur, insania corripiuntur. Sponte igitur dissertationis duae oriuntur partes, quarum priore de Aiace et Hercule, altera de Ione et Oreste disseremus. Quod tamen antequam faciamus, de disputationis ordine et ratione pauca praemoneamus necesse est.

Aiacem et Herculem furore correptos qua arte descripserint Sophocles et Euripides si quis data opera vult perscrutari, priusquam comparet utriusque poetae in describendo morbo rationem, de universa fabularum, de quibus agitur, indole et forma paucis debet exponere. Nam perpensa demum propria dramatum argumenti natura et diligenter explorato poetae consilio accedere convenit ad morbi descriptionis comparationem. Erunt igitur duo huius, partis capita. Atque priore de dramatica (ut nostro dicendi more utar), insaniae tractatione, posteriore de morbi exponemus descriptione.

Fabulae, quae inscribitur *Αἴας μαστιγοφόρος*, initio Minerva e machina loquens Ulixem circum Aiacis tentorium modo huc modo illuc ambulantem interrogat, cur tantum ponat studium in explorando, quas Aiax struat insidias, qui intus sedeat sudore manans. Cui respondet Ulixes se Aiacis quaerere vestigia recens impressa, quippe qui nocte proxima mirum obisse videatur facinus. Invenisse enim Achaeos armenta, quae praedando abegerant, omnia caesa ipsosque pastores trucidatos; quod factum ad Aiacem omnes referre, qui gladium tenens cruore humectatum a speculatore aliquo sit conspectus. Opportune igitur adesse deam, quae aut facere fidem aut demere possit gravibus de Aiace rumoribus.

Confirmat Minerva, rei praeterita nocte gestae auctorem esse Aiacem et interroganti Ulixi:

καὶ πρὸς τί δυσλόγιστον ὧδ' ᾖξεν χέρα; (vs. 40)
causam dicit hanc:

χόλῳ βαρυνθεὶς τῶν Ἀχιλλείων ὅπλων.

Etiam vehementius miranti exponit deinde dea, consilium cepisse illum Argivos trucidandi iamque, ut efficeret propositum, proxime a principum tentorio afuisse, cum ipsa vanis imaginibus deceptum ad armentorum caedem Aiacem adduxerit. Narrat, Aiacem mente alienatum magna pecudum strage facta bestias quas nondum caeserat, vinctas in tentorium traxisse. Ibi adesse eum in praesenti, verberibusque pecudes mulcantem poenas sibi videri repetere ab infestis Achaeorum principibus. Ut autem ipsum conspiciat insaniā oppressum, frustra Ulixe resistente e tentorio Minerva vocat Aiacem, qui oculis deae opera deflexis solam cognoscit Minervam. Etsi sedatus iam est furoris impetus, tamen in mente infixa remansit vana Aiácis opinio, quod ex interloquio eum dea conserto apparet. Deinde in tentorium Aiax redit, ut pergat insanum facinus. Ulixem, quem cepisse et vinxisse sibi videtur, flagello verberare cruentatumque interficere in animo habet.

Finitur prologus. Sequitur chori in orchestram incessus. Atque primo quidem de Aiace narrationi fidem derogans profectum esse tristem rumorem putat ab inimicorum calumnia, auctum vero humilium invidia. Stasimum deinde canit primum. Persuadere sibi studet iterum iterumque, nullo modo fieri potuisse, ut tale facinus obiret Aiax, nisi forte deorum infesta mente insania sit affectus. Iam vero in scenam prodit Tecmessa summatimque de insania Aiacis edocet chorum. Qui cum una cum Tecmessa lamenta luctumque ediderit, colloquium conserunt, quo monet Tecmessa etiam auctam esse Aiacis calamitatem soluta insania; quippe mentem eius valde cruciari talis facinoris conscientia. Denique narrare iubenti choro calamitatis initium, composita oratione exponit Tecmessa, Aiacem praeeunte nocte hasta armatum tentorium reliquisse paulloque post reversum secum egisse

ταύρους, κύνας βοτῆρας, εὐκέρων τ' ἄγραν.

Quorum aliis alio modo caesis foras eum esse elapsum et cum umbra aliqua sibi videri esse collocutum. Magna cum iactatione verba protulisse et contra Atridas et in Ulixem. Deinde vero, postquam redierit, paullatim mentis compotem eum esse factum statimque insanum agnovisse facinus. Restitutus in pristinam

mentis sanitatem in scenam eccyclemate movetur Aiax; circum quem humi iacent pecudum cadavera.

His fere adumbraverim Sophoclis fabulae, quae ad insaniam pertinet, partem. Conferamus Euripidis fabulam.

Post tertium dramatis, quod vulgo inscribitur *Ἡρακλῆς μαινόμενος*, stasimum, quo Herculis redeuntis gloriam etiam auctam nece liberatis patre uxore liberis summis laudibus celebravit chorus, in machina conspiciuntur Iris et Lyssa. Nuntiat choro perterrito Iris, Iunonem iratam insaniam statim esse immissuram in Herculem adhortaturque Lyssam, ut mentem eius turbet omnibusque vesaniae modis vexet. Quae quamvis aegre obsecuta, quoniam optime de diis hominibusque meritus sit Hercules, tamen ingrato munere fungi se velle dicit. Statimque prima furoris vestigia in Hercule conspiciuntur. Vehementissime permotus, postquam abiit Lyssa, ut ipsa ait, in domum Herculis, novum chorus canit canticum. Quantum vero cum eo, quod antecedit, discrepat! Modo Herculis lamentatur calamitatem, modo ad domum attendit animum ruinam daturam versibusque tristibus singulas persequitur insaniae partes intus actae. Postquam corruerunt aedes, in scenam prodit nuntius, non ille statim rem enarrans sed summatim magis calamitatem esse peractam indicans. Iussus vero rem omnem exponere, accuratam instituit Herculis insaniae narrationem.

Sequitur chori carmen, quo conqueritur necem uxoris liberorumque ab Hercule perpetratam miseramque eius sortem. Iam vero Herculem ipsum aspicit (vs. 1017) in scenam promotum. Quem circum dormientem interfectorum iacent cadavera. Dum alternis versibus Amphitryo et chorus rem lugubrem commiserantur, Hercules gravi somno solvi incipit, quod Amphitryonis indicant verba. Paullatim deinde ad aspiciendam lucem revocatus, quid actum sit, prorsus ignorans ab Amphitryone de insania edocetur.

Comparanti utriusque fabulae argumenti formam in eo statim magna apparebit differentia, quod Aiax iam in furorem incidit et totum fere perpetravit insanum facinus, antequam exordiatur fabulae actio, Herculis vero insania tum demum accidit, cum finiti sint tres dramatis actus. Quod ad oeconomiam fabularum magna habuit momenta.

Aiacis igitur facinus cum accideret silentio noctis, dormien-

tibus ceteris Achaeis, nemo poterat claram rei gestae habere cognitionem; atque hoc proponebatur poetae, quomodo de nocturno Aiacis furore et dramatis personas et spectatores certiores faceret. Hinc patet, necessitate coactum esse Sophoclem divinam inducere personam. Nam et sola Minerva sciebat Aiacis insaniam neque vero alia ulla persona eadem cum fide mirum noctis praeteritae factum narrare poterat. Sed cum Tecmessa ea quidem, quae in tentorio Aiax gessit, ipsa viderit, factum est, ut duas poeta nobis obferat insaniae descriptiones, alteram Minervae, alteram Tecmessae, quarum hanc de iis tantum dicere, quae ipsius oculis acceperit, illam vero pecudum stragem foris factam exponere sponte intelligitur. Et tamen errare putaverim eos, qui hanc unam argumenti diversitatem inter utramque furoris descriptionem intercedere existiment. Dea enim cum Ulixi respondens velut primis lineis Aiacis furorem designet et, ut divino praedita iudicio, causam mentis alienationis exponat, Tecmessa nuntii fere munere fungitur, qui rem lugubrem praeter omnium exspectationem factam ita, ut ipse vidit, enarrat. Proprium igitur quiddam utraque mihi habere videtur descriptio, non tamen hoc in argumento positum sed in personarum, quae loquuntur, diversitate. Nam certe aliter loquitur dea, cui Aiacis, Ulixis inimici, facinus nihil habet aut admirationis aut misericordiae, aliter Tecmessa, cui res per se tristissima etiam maiorem habet atrocitatem propter vehementem eius erga Aiacem amorem. Secundum diversam igitur cogitandi rationem rem describunt. Praecedit autem Minervae cum Ulixe colloquium, quo id quoque effectum videtur, ut spectatores non prius audirent mulieris narrationem quam Minervae verbis ad divinum arbitrium Aiacis calamitas sit relata.

Longe vero aliter rem instituit Euripides, quam differentiam imprimis esse repetendam consenties a diverso poetarum consilio. Apparet enim, Sophoclem a gravis facinoris conscientia voluisse ceteras fabulae partes suspensas esse, Euripidem vero id potissimum spectasse, ut prosperrima Herculis eiusque familiae sorte repentino insaniae incursu in contrarium statum mutato quam acerrime spectatorum animi percuterentur.

Quapropter duas Euripides fabulae instituit partes, inter quas ea intercedit discrepantia, qua vehementior vix ulla possit cogitari.

Interfecit Lycum Hercules; liberavit morte proxime instante

patrem, uxorem, liberos; exsultat gaudio chorus et id canit canticum, cuius ne unus quidem inveniatur versus, quin laetissimis pictus sit coloribus. Vix vero ultima decantavit verba, cum Iris et Lyssa conspiciuntur insaniam in Herculem immissurae. Vides, quantum differant fabulae. Aiacis enim furore velut fundamento nititur dramatis actio, Herculis insania exitum potius eius explicat. Sophoclis igitur erat, insaniam ante incuntem fabulam paene finitam in ipso exordio exponere; Euripidi difficilius hoc proponebatur, qua ratione introduceret insaniam iam actis tribus fabulae actibus. Quod quomodo fecerit, nunc quaeramus oportet. —

Atque offendent accuratius in Euripidis artem inquirentem tot deorum inutilis concursus. Euripides enim sub ipsum fabulae exitum duas inducit personas divinas, quae indicent Herculis furorem. Nec iniuria his adiunxeris Iunonem, quae, quamvis absit, tamen missis Iride et Lyssa auctrix est calamitatis. Ut igitur Iuno Iridi, ita Lyssae Iris, ut insania afficiat Herculem, imperat; Lyssa denique imperium in Herculem exercet.

Quae cum ita sint, duae potissimum existunt quaestiones, altera cur omnino adhibuerit divinas personas Euripides, altera cur non unam maluerit inducere quam tot hoc loco deis adhibitis actionis tenorem prorsus interrumpere, cuius cursus eo quoque gravatur, quod Lyssam invitissimam facit insania Herculem afficientem neque prius mandata obeuntem, quam graviter Iris monuit, ne Iunnis voluntati obsisteret.

Atque videtur scienter mihi monuisse Wilamowitz (Herc. I. pg. 368) hanc scenam a divinis personis actam alterum esse dramatis prologum. Profecto enim e peculiari fabulae argumenti natura duo orta sunt prooemia. Quippe divisit totam tragoediam, ut supra vidimus, in duas partes Euripides easque non solum re sed etiam colore inter se diversissimas. Nec vero fieri poterat, ut statim ab initio futura Herculis calamitas ita ut ex. gr. in Hippolyto, praesagiretur. An tum vim ullam habitura fuisset repentina Herculis fortunae mutatio? Atqui in hac propria huiusce dramatis vis est posita. Neque fortasse errabimus, si primum hoc studuisse statuemus Euripidem, ut tranquilliore minusque commoto animo sequerentur spectatores ipsam insaniae repraesentationem.

Accedit aliud. Considerantem totam, quae in describenda

Herculis insania versatur, dramatis partem fallere nequit, non solum duas sed tres furoris descriptiones ab Euripide esse institutas, quarum prima versibus 814—865, versibus 866—98 altera, tertia denique nuntii continetur narratione. Nec vero eo tantum differunt, quod hac, qualis sit futurus, illa, quomodo agatur, furor describitur, tertia vero, qualis fuerit, sed uno obtutu cognoscimus, proprium unicuique esse colorem. Nam cum Lyssa et Iris breviter pro deorum sanctitate vaticinentur furentis Herculis affectus, chorus, quid sentiant homines in tanta amici calamitate, lyrico carmine vivide exprimit; nuntius vero epica ratione accuratam facti narrationem instituit. Quibus in descriptionibus una inter se argumenti communitate nexis prudens poetae consilium nescio an appareat, qui eandem rem varie describendo explicaverit, ita ut conferre liceat, quod de Athenae Tecmessaeque verbis disseruimus.

Singulas autem insaniae descriptiones cum diversis coloribus distinxerit Euripides, noluit eas ad veritatis normam exigere. Initium enim insaniae Lyssae verba significant versus 859. Primum domus fragorem audit chorus vs. 880; quam corruentem videt, cum verba profert:

(vs. 895) *ἰδού, ἰδού, θύελλα*
σείει δῶμα συμπίπτει στέγη.

Statimque adest in scena nuntius. Quot res intra breve temporis spatium, chori carmine circumscriptum, vidit! Quam longam instituit calamitatis secundum chori carmen celerrime peractae narrationem! Obicies fortasse, in hoc ipso eximium poetae iudicium cerni, qui servaverit ita iustam inter lyricam epicamque descriptionem rationem. Fateor! Hoc vero vix negabis nullo pacto fieri potuisse, ut nuntius non solum ea, quae post domus ruinam acciderent, ipsius oculis videret sed etiam Herculem dormientem una cum Amphitryone ceterisque servis ad columnam alligaret: quippe qui in scenam prodiret, ilico ubi corruerunt aedes!

Euripidem non semper satis observasse continuum temporis successum, plura fabulae eius obferunt exempla. Quod tamen amplius persequi nunc nolo. Monere satis habeo, non solum in nuntii narrationibus neglectae paullo temporis rationi eum indulsisse, quod Wilamowitz ad nostrum locum adnotat. cf. t. II. pg. 215 l. l. Certe mihi exempli gratia idem peccasse videtur

in Hecuba dramate, ubi Polymestorem facit narrantem, quemadmodum Hecubae dolo oculis sit privatus. An putas, potuisse ea omnia, quae Polymestor narrat inde a versu 1128 usque ad vs. 1150, intra temporis spatium fieri versibus 1004—13 circumscriptum? Atqui hos dum recitat chorus, totam rem peragi necesse est.

Poterunt haec et similia conferri, ubi ut in Hercule Euripides temporis rationes non respexerit. Excusabuntur autem tali comparatione nec Hercules neque illae fabulae Euripidis. Iure enim Sophocles comparabitur, qui in Aiace nullis usus praesidiis ab ipsa actione alienis continuum nobis praebeat actionis cursum ita, ut omnibus partibus inter se congruentibus nusquam aptus scenarum tenor divellatur. Nos autem neque laudandi neque vituperandi causa has discrepantias indagamus, sed ut, quod cuique curque proprium sit, videamus. Igitur ad aliam differentiam progrediamur, quae iterum simpliciorem esse artem Sophoclis docebit, subtiliorem fortasse Euripidis.

Consideranti enim quae res ad utriusque fabulae formam summa habuerit momenta, omnis fere inter Sophoclem et Euripidem differentia eo mihi videtur redire, quod in divinis personis inducendis diversam secuti sunt rationem. Hac de re accuratius exponere operae pretium erit.

Tragicam Graecorum poësin a divino cultu esse profectam et artissime cum religione fuisse coniunctam, inter omnes constat. Atque facile intellegitur, tragicos illius aetatis poetas certis quibusdam legibus obnoxios fuisse vulgari deorum opinione praescriptis. Nam cum de ea, quae inter homines deosque intercederet, ratione haec valeret opinio, ut ad divinum arbitrium omnia revocarentur, quae hominibus acciderent, poetae funestam aliquam calamitatem in scenam afferenti id proponebatur, quam constitueret rationem inter divinam moderationem naturalemque rerum humanarum cursum. Moderationis autem deorum nusquam tam manifesta cernebant vestigia quam in mentis morbis, quippe quos a deorum proficisci ira eo facilius sibi persuaderent, quo minus naturalem eorum originem habebant perspectam. Quaerenti igitur de insaniae apud Sophoclem et Euripidem tractatione investigare opus est quae sint in utriusque dramate deorum partes. De quo ut recte atque ordine disputetur, primum exponam, quomodo actionis tenori inseruerit Sophocles Minervam, hidem Lyssamque

Euripides, deinde de universa divini arbitrii potestate pauca disseram.

Atque primum quidem eo differunt Sophocles et Euripides, quod in Aiace persona divina necessaria dramatis est pars, in Hercule vero quasi extrinsecus allata nullo artiore vinculo cum ipsa actione nexa est. Qua in re quantopere differat a Sophocle Euripides, optime dignoscetur, si Sophocli Minervam, Euripidi Lyssam dempserimus. Corruet Aiax; fere intactus remanebit Hercules.

Atque de Minerva vix sunt, quae moneam. Iam enim supra vidimus, nullo prorsus pacto prologi scenas in Aiace posse omitti, quippe quae expositionem contineant fabulae. Insequentem vero dramatis partem ita instituisse Sophoclem, ut intelligi nequeat omissa Minervae persona, insigni testantur exemplo Tecmessae de mira Aiacis cum umbra collocutione verba (vss. 301 seqq.), quibus ad Minervae Aiacisque interloquium poeta alludit. Hinc clarissime elucet, quanta industria ad unius corporis unitatem et divinas et humanas partes colligaverit Sophocles. Quae cum ita sint, unusquisque fateatur necesse est, si Minervam e contextu fabulae detraheres, mutilam decurtatamque esse remansuram tragoediam.

At in Euripide res longe aliter se habet. Cuius in fabula actionis tenorem prorsus interrumpi inductis Iride et Lyssa supra monuimus. Videamus, num ad sequentem dramatis partem intelligendam sint necessariae.

Sume igitur composuisse ita Euripidem hanc fabulam, ut post chori carmen, quod est a versu 749 usque ad vs. 806, in scenam prodiens eandem nuntius instituat Herculis calamitatis narrationem quam quae incipit a versu 912; tum meo quidem iudicio nihil perlegenti fabulam tibi occurret, quod vel levis offensionis det ansam. Quid enim! Offendit nonne vel magnam saltem habet admirationem, quod Iridis et Lyssae nullae sunt in postera dramatis actione partes? Non miramur, poetam de Iunone insaniae auctrice Theseum et Herculum tanquam de re incerta facere disputantes et ambigentes, tanquam nihil nobis de divina insaniae origine sit nuntiatum? Denique nonne iure quaerimus cur chorus non confirmet a Iunone insaniam esse profectam, quippe qui ipsius oculis audiverit deas de Iunone dispu-

tantes? Hinc satis, puto, patebit, dramatis actionem certe non flagitare alterum illum prologum. Iure igitur quaerimus, cur tandem hanc scaenam inseruerit. Quod altera fortasse ostendet quaestionis pars, qua de divini arbitrii apud Euripidem et Sophoclem potestate disserendum est. De quo nunc videbimus.

Atque in Sophocle quidem inter Minervam et Aiacem ea mihi videtur ratio intercedere, ut divina et humana consilia intima quadam necessitate sint iuncta. Nascitur enim Aiacis insania non minus ex ipsius mentis statu quam ex Minervae voluntate, ita ut neutri parti per se positae originem liceat ascribere; adeo sunt implicatae utriusque agentis in efficienda calamitate partes, ut iure haercas, utrius putandae sint priores. Nam etsi obiter fabulam percurrenti eminere videbitur prae Aiace deae potestas, tamen ita Sophocles furentis Aiacis expressit imaginem, ut, quod ad originem attinet insaniae, paria fere habeant momenta Minervae deae inimicitia atque Aiacis sanguinem sitientis animi status. Apertum enim est neque Aiacem nisi vehementi captus ira Achaeorum caedem molitus esset, in insaniam fuisse incursurum, neque, nisi Minerva mentem eius turbasset, futurum fuisse, ut insanum ille perpetraret facinus. Mirum igitur in modum consociata sunt ac velut mutua inter se iuncta ratione divina moderatio et humana rerum condicio, quarum altera ad alteram se conformat. Verum tamen, quamquam ita Sophocles rem instituit, ut Aiax, antequam Minervae opera furore afficiatur, in ea sit rerum ratione, qua per se invitetur insania, tamen dubitari nequit, quin valeat vigeatque apud Sophoclem vetus illa de divina insaniae origine opinio. Hanc insigni testatur exemplo Aiacis post solutam insaniam de calamitate iudicium. Quid enim est, quo maxime cruciatur mentis compos factus? An quod furore correptus pecudum edidit stragem? Minime id quidem! Bene enim scit, non sibi sed Minervae auctrici hoc facinus esse ascribendum. Sed inde omnes oriuntur mentis cruciatus et, quod effugerunt caedem tanta cum diligentia praeparatam Achaeorum principes, et, quod risum movit contemptionemque inimicorum divino arbitrio ad irritum redacto, quod iam effecturus erat, consilio. Neque aliam ob causam manum sibi affert, quam quod deorum expertus est invidiam. Animo enim secum reputans, utrum mortem sibi consciscere praestet an vitam perducere, haec dicit: cf. vss. 457 seqq.

*καὶ νῦν τί χρὴ δρᾶν; ὅστις ἐμφανῶς θεοῖς
ἐχθαίρομαι — —*

Tecmessae vero, ne vitam relinquat, obsecranti respondet (cf. vss. 589—90)

*οὐ κάτοισθ' ἐγὼ θεοῖς
ὡς οὐδὲν ἀρκεῖν εἴμ' ὀφειλέτης ἔτι;*

Denique id, in quo totius fabulae quasi cardo vertatur, comprebendit Calchae vaticinium vss. 756 seqq.

Ex iis quae hactenus disputata sunt, clare cognoscitur Sophocleam insaniae tractationem pristinam de deorum numine opinionem nusquam turbare atque eo spectare huius morbi descriptionem, ut excitet in spectatorum animis iustam erga deos tanquam aequos rerum humanarum arbitros pietatem. Cuius quidem pietatis ipse Aiax non praebet exemplum, qui non curans, cur tantam deorum sibi contraxerit iram, animo impio et obstinato calamitatem fert divinitus missam. Nec vero convenisset cum heroica Aiacis persona alia sentiendi ratio.

Sequitur, ut enucleemus, qualem Euripides inter divinum arbitrium naturalemque rerum cursum constituerit rationem.

Longe remotum fuisse Euripidem ab Aeschylea et Sophoclea deorum opinione notius est quam quod denuo exemplis illutrari conveniat. Tamen divinam Herculis furoris originem utpote antiquis traditam fabulis iisque in omnium versantibus fama et notitia aperten est non potuisse in scena tractari ab Euripide nisi ita, ut a Iunonis inimicitia proficisceretur. Atque ex hac difficultate mihi repetenda videtur explicatio consilii Euripidei. Divisit insaniae descriptionem in duas partes easque inter se prorsus diversas, ita, ut in priore mythis obsecutus veterum uteretur et cogitandi et loquendi consuetudine, in altera autem nobis obferat calamitatis tractationem ad veritatem et humanitatem accommodatam. Hac ratione effecit Euripides, ut et divini Iunonis arbitrii iusta habeatur ratio neque divinae personae ipsi actioni inserantur. Vides, quanto dissentiat a Sophocle. Neque enim usquam dea nobis occurrit cum homine colloquium conserens ut Minerva in Aiace, sed separata sunt omnino divina et humana. »At«, audio obloquentem, »ut Iridis et Lys-

sae in nuntii narratione, quam tu ad naturalem insaniae indolem omnem esse conformatam posuiti, nullae sint partes, tamen haecce ipsa dramatis pars contrariae in adhibendis divinis personis rationis insigne obfert exemplum. Versus dico 992 seqq.

ἀλλ' ἦλθεν εἰκών, ὡς ὁρᾶν ἐφαίνετο,
Παλλὰς κραδαίνουσ' ἔγχος ἐπίλογχον χερὶ
κἄῤῥιψε πέτρον στέρνον εἰς Ἡρακλέους,
ὅς νιν φόνου μαργῶντ' ἐπέσχε κ' εἰς ὕπνον
καθῆκε. — —«

Fateor non ita aliter hoc loco deam inseri rebus humanis atque in Aiace. Nam inopinata Minervae praesentia hic efficitur, illic solvitur insania. Neglexit igitur ipse poeta consilium, quod in ceteris dramatis partibus eum secutum esse et demonstravi et demonstrabo. Videtur autem hac inconstantia primum confirmari Wilamowitzii suspicio (cf. 1, 356—57), non ipsum Euripidem finxisse hunc insaniae exitum sed ex antiqua sumpsisse fabula. Tum ideo fortasse eam secutus est, quia post tot tamque atrocia facinora languidus ei videbatur Hercules somno subito concidens ita ut causa improvisi soporis nulla appareret. Maluit igitur Minerva causa somni inducta inconstantiae vituperationem ferre, quam languere descriptionem. Debuit sane, ut constans sibi esset, etiam exitum furoris ad unam describere veritatem. Sed dabat hoc spectatoribus non tam veritatem quam efficaciam spectantibus morbi descriptionis.

Nunc vero ut quemadmodum ad divinum arbitrium Herculis calamitas revocetur, indagemus, primum quaeramus, num eius opinionis, qua fere niti Sophoclis fabulam supra vidimus, quasi poenam propter nefas commissum ab iratis deis mitti hominibus insaniam, in Euripide inveniantur vestigia. Inveniuntur nulla. Nam, ubicunque aut Hercules aut Amphitryo aut Theseus furorem ad divinam referunt voluntatem, ita loquuntur, tanquam sine ulla ipsius culpa Hercules Iunonis iram sit expertus. cf. vss. 1114, 78; 1227, 40, 66, 90—98; 1381.

Clarissime autem elucebit, quantum hac in re inter Aiacem et Herculem intersit, comparando utriusque post solutam insaniam animi statu. Insani facinoris culpam non sibi sed Minervae vin-

dicabat Aiax. Quid Hercules? Initio ille, in pristinam mentis sanitatem restitutus, vehementi captus desperatione, quamquam falsis deceptus opinionibus uxorem liberosque necavit, nefandum tamen sibi videtur perpetrasse scelus idque, quod ipsius morte expiare debeat. cf. vss. 1130—37.

Hactenus ne mentionem quidem fecit Iunonis, etsi de dea auctrice sceleris iam Amphitryo monuerat vs. 1127:

ὦ Ζεῦ, παρ' Ἥρας ἄρ' ὁρᾷς θρόνων τάδε;

Tum Theseus eandem memorat versu 1191:

Ἥρας ὅδ' ἀγών. — —

Sed Herculem cum utroque iam dudum tacite consentire declarant verba eius

οἶδ' οὐδὲν ὠφελοῦσί μ', ἀλλ' Ἥρα κρατεῖ.

Contra hanc deam quo animo affectus sit, patet ex versu 1241, ubi verum fortasse vidit Wilamowitz scribens:

τοιγὰρ παρεσκευάσμεθ' ὥστε καὶ περᾶν.

et ex versibus 1303 seqq.:

χορευέτω δὴ Ζηνὸς ἡ κλεινὴ δάμαρ.

Ex his omnibus autem summam inter Aiacem et Herculem similitudinem patere nemo infitiabitur. Utrique enim deam esse causam calamitatis manifestum est, uterque deam odit et aspernatur adhuc animo reluctans, uterque mortem petiturus est.

Iam vero in eo summa intercedit differentia, quod Aiax revera se interficit, Hercules autem abieto hoc consilio vivere pergit. Cuius consilii mutationis luculente nobis obferunt causam vss. 1327 seqq.: [1])

οἴμοι πάρεργα μὲν τάδ' ἔστ' ἐμῶν κακῶν.
ἐγὼ δὲ τοὺς θεοὺς οὔτε λέκτρ' ἃ μὴ θέμις
στέργειν νομίζω, δέσμα τ' ἐξάπτειν χεροῖν
οὔτ' ἠξίωσα πώποτ' οὔτε πείσομαι,
ουδ' ἄλλον ἄλλου δεσπότην πεφυκέναι.
δεῖται γὰρ ὁ θεός, εἴπερ ἔστ' ὄντως θεός,
οὐδενός. ἀοιδῶν οἵδε δύστηνοι λόγοι.
ἐσκεψάμην δέ, καίπερ ἐν κακοῖσιν ὤν,
μὴ δειλίαν ὄφλω τιν' ἐκλιπὼν φάος.
ταῖς συμφοραῖς γὰρ ὅστις οὐχ ὑφίσταται
οὐδ' ἀνδρὸς ἂν δύναιθ' ὑποστῆναι βέλος
ἐγκαρτερήσας θάνατον.

[1]) Recepi *μὲν* cum Wilamowitzio (cf. Wil. t. II. pg. 277).

Nimirum antea Hercules mythum secutus invectus erat in Iunonem, nunc cum poeta ipso dubitat de veritate illorum. Nefastas esse fictas illas de diis narrationes aperte fatetur itemque morbo succubuisse se, non irae deae. Inde vivendi sibi sumit animum. Ignavi enim esse, morbi causa vitam fugere. Videmus igitur Aiacem ideo ne cogitari quidem posse sine Minerva, quia consentiunt de eius auctoritate homines, contra in Hercule deos ab actione anxie remotos esse, quia utrum sint necne inter se philosophantur homines.

Haec habui, quae de dramatica insaniae tractatione exponerem. Sequitur, ut morbi descriptiones accuratius inter se comparemus.

Atque interesse quidem aliquid hac in re inter tragicos nostros, vel ex iis ratiocinaberis, quae hactenus disputata sunt. Nam qui mecum consideraverit ea, de quibus supra disputavimus, in morbi descriptione vix eandem exspectabit curam diligentiamque in eo poeta, qui insaniam prorsus suspensam esse voluit a deorum voluntate, quam in eo, qui humana atque divina cum cura distinxit. Atque id, quod sic concludimus, firmatur luculento exemplo nuntii apud Euripidem narratione.

Quam cum egregie nuper tractaverit Wilamowitz l. l. t II. pgg. 223 sqq.,, mirabitur fortasse, qui denuo in quaestionem videt vocari. Tironem certe nimiae incusabit audaciae huius viri in tractatione acquiescere nolentem.

Provoco tamen ad ipsum Wilamowitzium, qui cum Lyssae verba versus 861. ad initium insaniae spectantia exemplo illustravit ex Hippocratis prognosticis sumpto novam movit quaestionem accuratius tractatu haud indignam, quanam cum veritate furentis Herculis imaginem Euripides expresserit. Huius igitur premens vestigia hanc de nuntii narratione instituo disputationem.

Atque prius iam in tragicorum Graecorum medicinae scientias data opera est inquisitum. Daremberg enim, vir doctissimus, e poetis historicisque, qui fuerunt inde ab Homero usque ad Hippocratis aetatem eruere conatus est, quae ad medicinae statum pertineant, testimonia. (cf. Revue archéol. X. année n. s. 1869. pgg. 63—72, 199—212.) Atque quod attinet ad Euripidem, in his potissimum sententiis magnae tunc temporis artis medicae auctoritatis certa agnoscit documenta.

Bellerophontis fabulae deperditae fragmentum exstat (cf. Nauck n. 292.), cuius haec sunt verba:

πρὸς τὴν νόσον τοι καὶ τὸν ἰατρὸν χρεὼν
ἰδόντ' ἀκεῖσθαι, μὴ 'πιτὰξ τὰ φάρμακα
διδόντ', ἐὰν μὴ ταῦτα τῇ νόσῳ πρέπῃ.

Adnotat Daremberg: »On croirait lire un aphorisme d'Hippocrate.

Deinde incertae fabulae fragmentum affert Dar., a Clemente Alexandrino servatum (Dindorf. ed. II. VI, 22), qui probare vult ab Hippocrate nonnulla esse mutuatum Euripidem. Dicit haec: *Ἀλλὰ καὶ τοῦ ἰατροῦ Ἱπποκράτους, »ἐπιβλέπειν οὖν δεῖ καὶ ὥρην καὶ χώρην καὶ ἡλικίην καὶ νόσους« γράφοντος Εὐριπίδης ἐν ἐξαμέτρῳ χρήσει*[1] *φησίν.*

— — — *ὅσοι δ' ἰατρεύειν καλῶς,*
πρὸς τὰς διαίτας τῶν τ' ἐνοικούντων πόλιν
τὴν γῆν τ' ἰδόντας τὰς νόσους σκοπεῖν χρεών[2]*.*

Quorum versuum sententia quantopere consentiat cum Hippocraticis de medicorum officio praeceptis, libri, qui *περὶ ἀέρων, ὑδάτων, τόπων* inscribitur, testatur initium. Disserit ita Hippocrates: *Ἰητρικὴν ὅστις βούλεται ὀρθῶς ζητεῖν, τάδε χρὴ ποιέειν — — — ἐς πόλιν ἐπειδὰν ἀφίκηταί τις, ἧς ἄπειρός ἐστιν, διαφροντίσαι χρὴ τὴν θέσιν αὐτέης — — καὶ τὴν γῆν πότερον ψιλή τε καὶ ἄνυδρος ἢ — — καὶ τὴν δίαιταν τῶν ἀνθρώπων, ὁκοίῃ ἥδονται — — εἰ γάρ ταῦτα εἰδείη τις καλῶς, μάλιστα μὲν πάντα, εἰ δὲ μή, τά γε πλεῖστα, οὐκ ἂν αὐτὸν λανθάνοι — — οὔτε νοσήματα ἐπιχώρια οὔτε τῶν κοινῶν ἡ φύσις ὁκοίη τίς ἐστιν.* Quid! Haec nonne paene suspiceris ante oculos habuisse Euripidem ista scribentem?

---

[1]) Recepi Hemsterhuysii verbi *τηρήσει* emendationem, etiam Valckenario probatam. cf. Valck. diatribe. pg. 245. Dubito tamen, an gravior subsit corruptela huic loco. Fortasse recte suspicatur Chr. Petersen, (Hippocratis nomine quae circumferuntur scripta ad temporum rationes disposita Hamburg 1839 p. I. pag. 21.), depravatum tragoediae nomen latere in vocibus *ἐξαμέτρῳ τηρήσει.*

[2]) Audacius mihi videtur primum versum constituere F. W. Schmidt (Krit. Stud. z. d. griech. Dramat. II. 501.), quoniam, quae antecedant, prorsus nos latet. Satis habeo, bis inserere voculam *τέ*, quod semel facit Valcken. l. l.; verbo *νόσους* non video cur offendatur Schmidt; (cf. l. l.), nempe de morborum prudenti curatione agitur. —

Affert porro hoc fragmentum Daremberg: (cf. Nauck. 1072)

μέλλων τ' ἰατρὸς τῇ νόσῳ διδοὺς χρόνον
ἰάσατ' αὐτὴν μᾶλλον ἢ τεμὼν χρόα.

Insignissimum vero testimonium, quantam in Euripide habeat auctoritatem medicina, in Hippolyti cernit versibus, etiam al Haesero laudatis (Lehrb. d. Gesch. d. Medicin. I. pg. 97.), quibus nutrix Phaedrae aegrotanti haec dicit (cf. vss. 293—96).

κ'εἰ μὲν νοσεῖς τι τῶν ἀποῤῥήτων κακῶν.
γυναῖκες αἵδε συγκαθιστάναι νόσον.
εἰ δ ἔκφορός σοι συμφορὰ πρὸς ἄρσενας
λέγ' ὡς ἰατροῖς πρᾶγμα μηνυθῇ τόδε.

Adnotat vir doctissimus: Nons voyons dans Euripide l'intervention des sages femmes et des médecins, dont l'office simultané est si souvent recommandé dans les livres sur les maladies des femmes, qui font partie de la collection hippocratique. —

Dubito vero, num suo iure in talibus exemplis acquieverit Daremberg. Eam certe sententiam, quam paullo supra apud eum legimus: *à mesure, que le temps marche, les idees médicales s'étendent et se perfectionnent* — non satis mihi istis Euripidis locis probavit, quippe qui parum differant ab Aeschyli et Sophoclis similibus de arte medica enunciatis, velut his ab ipso Darembergio laudatis:

Prom. 474 seqq. ita loquitur chorus:

— κακὸς δ'ἰατρὸς ὥς τις ἐς νόσον
πεσὼν ἀθυμεῖς καὶ σεαυτὸν οὐκ ἔχεις
εὑρεῖν ὁποίοις φαρμάκοις ἰάσιμος.

Sophoclis fabulae, quae inscribitur *Τηρεύς*. hoc exstat fragmentum (cf. Nauck. n. 538).

ὅστις γὰρ ἐν κακοῖσι θυμωθεὶς βροτῶν
μεῖζον προσάπτει τῆς τόσου τὸ φάρμακον
ἰατρός ἐστιν οὐκ ἐπιστήμων ἀκῶν.

Denique Aiacis fabulae conferas versus 581/82: —

οὐ πρὸς ἰατροῦ σοφοῦ
θρηνεῖν ἐπῳδὰς πρὸς τομῶντι πήματι.

At enim, quantum revera intersit hac in re inter tragicos nostros, duo potissimum mihi testantur fragmenta, quae Darembergium satis miror prorsus praeteriisse.

Fabulae, qua Bellerophontem a Iove propter nimiam iactationem insania affectum in scenam Euripides induxit, quattuor ser-

vati sunt versus, quibus egregie poëta de hominum morbis sic loquitur: (cf. Nauck. 292).

νόσοι δὲ θνητῶν αἱ μὲν εἰσ' αὐθαίρετοι
αἵ δ' ἐκ θεῶν πάρεισιν, ἀλλὰ τῷ νόμῳ
ἰώμεθ' αὐτάς. ἀλλά σοι λέξαι θέλω,
εἰ θεοί τι δρῶσιν αἰσχρόν, οὐκ εἰσὶν θεοί.

Perstringit igitur his verbis eos poeta, qui morbos quosdam ad deos referant tanquam auctores; obicit, — nempe sic intelliges haec verba — non solum mirum satis esse, si morbis divinitus missis lege soleamus mederi, sed etiam indignam esse deo talem opinionem, quippe qui turpis facinoris tum deprehendatur reus. Nunc, velim, conferas, quae libelli, qui *περὶ ἱερῆς νούσου* inscribitur, Hippocratici auctor[1]) in eiusdem perversae opinionis defensores disputet. Pauca exsignabo. Legimus primo in capite (Littréi ed. t. VI. pg. 358.) haec: *καί τοι ἔμοιγε οὐ περὶ εὐσεβείης δοκέουσι τοὺς λόγους ποιέεσθαι, ὡς οἴονται, ἀλλὰ περὶ δυσσεβείης μᾶλλον, καὶ ὡς οἱ θεοὶ οὐκ εἰσὶ. τό τε εὐσεβὲς καὶ θεῖον αὐτῶν ἀσεβὲς καὶ ἀνόσιόν ἐστι* — — —; eiusdem capitis sub exitum dicit: *οὐ μέντοι ἔγωγε ἀξιῶ ὑπὸ θεοῦ ἀνθρώπου σῶμα μιαίνεσθαι, τὸ ἐπικηρότατον ὑπὸ τοῦ ἁγνοτάτου.* Totam vero si perlegeris, quae in refellenda divina morborum origine versatur, libelli partem, miram cum illorum versuum sententia similitudinem animadvertes.

Porro huc mihi videtur pertinere Philoctetis fabulae deperditae fragmentum, quod non minus Hippocrateam indolem prae se fert, (cf. Nauck. n. 799.) cuius haec sunt verba:

ὥσπερ δὲ θνητὸν καὶ τὸ σῶμ' ἡμῶν ἔφυ
οὕτω προσήκει μηδὲ τὴν ὀργὴν ἔχειν
ἀθάνατον, ὅστις σωφρονεῖν ἐπίσταται.

Quid igitur sibi volunt haec philosophi nostri scenici verba? Sic fere verterim: Quemadmodum corpus nostrum natura est mortale, sic ne animi quidem affectus convenit esse immortales hominibus sapere scientibus.

Habemus igitur syllogismum membro secundo mutilum; quod

---

[1]) Librum de morlo sacro et alia scripta Hippocratica quo iure adhibuerim ad Euripidis interpretationem, exposui in epimetro.

quomodo suppleamus quaeritur. Probare vult poeta, eam animi partem, ex qua affectus nascantur, non decere esse immortalem. Atqui argumento utitur corporis mortalitate. Ergo necessario substituimus loco secundo, ut integer evadat syllogismus, hanc sententiam, animi affectus ex corpore totos pendere indeque provenire. Id certe nequit dubitari, quin Euripides animi affectus intellegi velit corporis esse partem eiusque mortalis. —

Vides igitur, his quoque versibus impetum facere Euripidem in tritas usitatasque vulgi opiniones, quod a mente Aeschyli et Sophoclis pariter esse alienissimum nemo negabit. Iterum vero perspicuam deprehendimus Euripideae sententiae cum Hippocraticis similitudinem. Nam statuebant sibi Hippocratici, qui vocantur, inter corpus animumque eam intercedere rationem, ut omnes animi affectus e corpore orerentur et artissime cum eo cohaererent, de quo paullo uberius disputavit Herm. Nasse initio dissertationis, quam inscripsit: de insania commentatio secundum libros Hippocraticos (Bonnae 1829). Atque eo usque progressi sunt, ut etiam insaniam nulla animi per se ipsius habita ratione aliosque mentis morbos a corporis affectionibus repeterent. Huius opinionis insigne mihi obfert exemplum de morbo sacro libellus; cuius auctor, postquam exposuit, a cerebro trahere originem sacrum, quem appellent, morbum, his verbis pergit: (cf. VI. c. 14. pg. 386).

εἰδέναι δὲ χρὴ τοὺς ἀνθρώπους, ὅτι ἐξ οὐδενὸς ἡμῖν αἱ ἡδοναὶ γίνονται καὶ αἱ εὐφροσύναι καὶ γέλωτες καὶ παιδιαὶ ἢ ἐντεῦθεν (i. e. ex. cerebro) *καὶ λῦπαι καὶ ἀνίαι καὶ δυσφροσύναι καὶ κλαυθμοὶ — —. τῷ δὲ αὐτῷ τούτῳ καὶ μαινόμεθα καὶ παραφρονέομεν.* —

Atque confirmor equidem his omnibus, ut suspicer, etiam in Herculis insaniae descriptione noluisse poetam nostrum in pristina veritatis negligentia acquiescere, sed ad naturae exemplum eam instituisse.

Iam vero accurate inter se comparemus morbi descriptiones. Atque primum ante oculos proponamus furentis Herculis imaginem a nuntio descriptam.

Postquam Lycum necavit Hercules, sacra rite parantur, quae purgent domum nece maculatam. Circumstant aram Amphitryo, Megara, liberi solemni cum silentio animadvertentes expiationis initia, quam instituit Hercules. Iamque torrem sumebat in sacram

aquam immergendam, cum haeret subito manumque continet. Intuentur liberi patrem cum admiratione. Ecce autem miram in Hercule mutationem! Torquet ocules, quorum fibrae rubescunt sanguineumque trahunt colorem. Movetur ex ore spuma, manat de mento. Atque risum edens turbidum patri dicit Hercules, quid sibi velint sacra, antequam Eurystheum occiderit; tum demum suo loco fieri expiationem, cum huius caput domum reportaverit. Et revera in eam cogitationem tota Herculis mens incumbit, Mycenas sibi esse proficiscendum, ut Eurystheum interficiat. Tela igitur poscit et instrumenta ad muros suffodiendos idonea. Incipit iter. Falsis deceptus imaginibus curru sibi videtur vehi; habenas regit manu tanquam stimulo utens. Ambigunt servi, utrum iocetur dominus an insaniat. Qui per totam ruit domum modo huc modo illuc. In virorum incidit conclave, quod pro Megaris accipit, prima itineris statione. Hic moratur paullum coenamque parat. Pergit deinde iter et ad Isthmum pervenit. Nova fallitur opinione. In certamen sibi videtur prodire; exuit chlamydem certantisque instar se gerit; ipse se pronuntiat victorem. Iam vero minacia eius in Eurystheum verba Mycenas Herculem sibi videri advenisse indicant. Amphitryonem causam, cur ita se gerat, quaerentem repellit Eurystheum esse opinatus et arcum dirigit in suos liberos, quos Eurysthei filios putat secundum vanam opinionem. Quorum postquam duos cum magna verborum iactatione necavit, ad tertium aggreditur sagitta transfodiendum; quem tamen cum mater, ut ab insaniente patre defenderet, in interiorem domus partem traxerit, non prius necat quam fores arte et ratione diruit postesque excussit, Cyclopicos Mycenarum muros evertere sibi visus. Interfecto una cum matre tertio filio ipsi patri mortem erat allaturus, cum somno repente captus humi cadit. Satis longo tenetur sopore. Pedetentim ad vitam redit. —

Hanc igitur morbi descriptionem accuratius tractaturi primum, quae sit Herculis furentis ab Aiace differentia, videamus, deinde, qua veritate insaniam Euripides descripserit, Hippocratis imprimis secundum scripta examinemus. Ut autem recte atque ordine disputetur, deinceps comparabimus insaniae initium, progressum, exitum.

Ad Aiacis furoris initium duo spetant versus epici carminis »*Αἰϑιοπίς*« superstites. De Podalirio medico haec dicit poëta (cf. Kinkel. frgm. 3.)

ὅς ῥα καὶ Αἴαντος πρῶτος μάθε χωομένοιο
ὄμματα τ' ἀστράπτοντα βαρυνόμενόν τε νόημα.

Hinc iure effeceris, ita Aiacis insaniam antea fuisse descriptam, ut quasi praeparatur vehementi eius propter arma Ulixi addicta ira.

Frustra talia requires in Sophocle; qui quantopere ad nutum divinum revocet totam Aiacis mentis alienationem, nullum exstat testimonium magis idoneum quam ineuntis insaniae descriptio. Nam etsi versu 41. iracundiam Achaeorum caedis esse causam e Minerva audimus, multum tamen abest, ut eam poeta instituat furoris initii descriptionem, ut naturaliter in insaniam transeat mentis permotio. Immo, dum sanus est, morbo repente corripitur Aiax divinitus misso. (cf. vss. 285—94).

Conferamus Euripidem! Divini arbitrii personam in Hercule gerunt Iris et Lyssa; quarum partes cum ipsa actione non esse nexas supra dictum est. Quocum congruit nuntium in describendo morbi initio ne uno quidem verbo causae divinae suspicionem movere. Repente videmus succumbere morbo Herculem, nullo mentis affectu excitatum, quod saepe vidisse se in furentibus affirmat Hippocrates, de morb. s. § 1. (L. VI. pg. 354.) cum dicit: — — *τοῦτο δὲ ὁρέω μαινομένους ἀνθρώπους καὶ παραφρονέοντας ἀπὸ μηδεμίης προφάσιος ἐμφανέος* — — — *καὶ ταῦτα οὐχ ἅπαξ ἀλλὰ πολλάκις*

Deinde accurate Euripides singulas corporis affectiones describit, quae desunt omnino in Aiace. Dicit de Hercule: (vss. 922 seqq.)

— *ἐν στροφαῖσιν ὀμμάτων ἐφθαρμένος*
ῥίζας τ' ἐν ὄσσοις αἱματωποὺς ἐκβαλὼν
ἀφρὸν κατέσταζ' εὐτρίχου γενειάδος. —

Eadem fere corporis affectiones ab Hippocrate vel morbo sacro vel insania correptis attribuuntur: cf. pg. 374:

— *καὶ οἱ ὀφθαλμοὶ διαστρέφονται* — *ἀφρὸς δὲ ἐκ τοῦ στόματος προέρχεται* —
pg. 390 § 15 — — *τότε μᾶλλον τὸ πρόσωπον φλογιᾷ, καὶ οἱ ὀφθαλμοὶ ἐρεύθονται.*

His adiunxerim, quae in VI. epidem. libro de insaniae signis legimus:

ὄμματος θράσος παρακρουστικὸν καὶ ἔῤῥιψις καὶ κατάκλασις κακόν — et quae in universum Hippocrates initio praenotionum libri de faciei in morbis acutis mutatione dicit: — — καὶ τἄλλα σημεῖα σκέπτεσθαι [scl. χρὴ] τά τε ἐν τῷ σώματι καὶ τὰ ἐν τοῖσιν ὀφθαλμοῖσιν · ἢν γὰρ — — διαστρέφωνται — — ἢν τὰ λευκὰ ἐρυθρὰ ἴσχωσιν — — ταῦτα πάντα κακὰ νομίζειν · Paullo infra legimus: ἢν γὰρ αἱ ὄψιες πυκνὰ κινέωνται, μανῆναι τούτοις ἐλπίς. —

Vides igitur in Euripidis descriptione vix offensurum esse Hippocratem. Necnon optime ad furentis imaginem quadrat turbidus Herculis risus, de quo legimus in aphorismis: αἱ παραφροσύναι αἱ μὲν μετὰ γέλωτος γιγνόμεναι ἀσφαλέστεραι, αἱ δὲ μετὰ σπουδῆς ἐπισφαλέστεραι. Apparet ex his verbis, medicos Graecos accurate observasse, utrum cum risu an sine risu fieret insania, atque risu prosperiorem statuisse morbi eventum significari. Ceterum Aiax quoque ridet furoris impetu oppressus cf. vs. 303.

Atque de initio insaniae hactenus! Comparemus, qua ratione progredientem morbum uterque descripserit.

Primum igitur eo differunt Aiax et Hercules, quod consilii in illo nulla fit mutatio, sed tenax est eorum, quae sana mente sibi proposuerat, quippe qui inimicos sibi videatur interficere pecudum edens stragem. Hercules vero prorsus abducitur a consilio, quod iam erat effecturus, mentis alienatione. Omittit sacra parata et inchoata caedemque repente machinatur in Eurystheum, quae cogitatio cum a tota dramatis actione sit alienissima tum discrepat atque pugnat vehementissime cum praesenti eius cura. Subito igitur videmus existere aegroto novas curas, ineptissimas huic temporis momento, quae eum abripiunt ab eo, quod modo sibi proposuerat, ad consilia plane diversa. Idem observavere medici Graeci, quod auctoris de morbo sacro haec docent verba: (cf. L. VI. § 14. pag. 386) τῷ δὲ αὐτῷ τούτῳ καὶ μαινόμεθα (scl. cerebro) καὶ παραφρονέομεν καὶ — — — παρίστανται ἡμῖν — — πλάνοι ἄκαιροι καὶ φροντίδες οὐχ ἱκνεύμεναι — καὶ ἀγωσίη τῶν καθεστεώτων. Mirum quantum cum medici verbis Euripidis conveniat descriptio. Nam etiam Hercules intempestivis fallitur erroribus, ineptis afficitur curis, nescit, quid a sano postulasset praesens tempus. Uterque vero

pariter vanis fallitur imaginibus. Tamen hic potissimum elucet, quantum inter Sophoclis et Euripidis rationem describendi intersit. Aiacis enim mens tota est addicta uni falsae opinioni, intra quam continetur insania. Pro Achaeis pecudes caedit tanquam viros. Atque manet haec opinio, dum levetur morbi accessione.

Longe aliter rem instituit Euripides, non acquiescens simplici Sophoclis ratione. Verum est, Herculem consilio, quod initio mentis alienationis cepit, nusquam discedere; sed quodcunque agit aut patitur, ad Eurystheum refert necandum. At in eo Euripideae rationis egregiam agnosces virtutem, quod in Hercule pro una eaque firmiter menti infixa opinione plures deinceps sibi succedunt vanae imagines prorsus inter se diversae, quae mira profecto cum mobilitate et existunt et evanescunt. Quod quantopere vera cum insaniae forma conveniat et ad huius potissimum furoris generis speciem sit accommodatum, unus ex recentioribus mentis morborum indagatoribus nobis testetur. W. Griesinger in libro, quem inscripsit: »Die Pathologie und Therapie der psychischen Krankheiten. (Braunschwg. 1871) pg. 287 ita disserit de morbo qui vocatur »Tobsucht.«:

»So stellt sich als die hauptsächlichste Anomalie des Vorstellens in der ausgeprägten Tobsucht eine Verworrenheit der Vorstellungen heraus, welche sich als notwendige Folge aus der Übereilung aller geistiger Processe, aus der Unmöglichkeit einer vollständigen Ausbildung der einzelnen Vorstellungen, aus dem schnellen Wechsel der Stimmungen — — — ergiebt. Weder fixe, bleibende Wahnbildungen sind diesen Zuständen eigen, noch werden sie durch ein leidenschaftliches Vorstellen, das aus dem gesunden Leben herübergenommen wurde, beherrscht.« —

Quod iudicium accepturum fuisse Hippocratem, ex his verbis suspicer ad furorem spectantibus: (de morbo sacro. § 14. L. VI. pg. 363). *ἀνάγκη — — μήτε τὴν ὄψιν ἀτρεμίζειν μήτε τὴν ἀκοὴν ἀλλ' ἄλλοτε ἄλλο· ὁρᾶν καὶ ἀκούειν, τήν τε γλῶσσαν τοιαῦτα διαλέγεσθαι, οἷα ἂν βλέπῃ τε καὶ ἀκούῃ ἑκάστοτε.* Tamen Wilamowitzio plura in hac narratione vituperatione quam laude digna visa sunt. Dicit haec vir doctissimus: (cf. Her. tom. II. pg. 224.) »es ist nicht zu bestreiten, dass der Dichter die Anschaulichkeit bis zur Kakozelie getrieben hat. Die beiden Stationen auf der Fahrt nach Mykenae werden lächerlich, zumal wenn

man sich Her. mit der Luft faustkämpfend vorstellt.« Offendit porro eum, quod nec unde Hercules tela habeat et instrumenta, intelligatur satis, nec, qui potuerit fieri, ut Amphitryo et servi nihil succurentes calamitati totam insaniae accessionem peragi paterentur. Itaque hoc fert iudicium de Euripide: »er hat die Üppigkeit seiner Phantasie wild wachsen lassen.« — Percenseamus singula, quae crimini poetae vertit Wilamowitz. Atque primum risum movere dicit cum duas itineris stationes tum certamen Herculis, quo cum aere pugnantem eum faciat Euripides. Prorsus consentio cum Wilamowitzio; atque hoc contendo, vituperanti ei ne ipsum quidem Euripidem oblocuturum fuisse; nam etiam servis ridiculus videtur Hercules. (cf. vs. 940.), ambigentibus, utrum iocetur dominus an insaniat. Est autem notissimum plerumque insaniam aliis esse ridiculam. Dabat igitur hoc veritati, nimium fortasse et quod Sophocles certe sibi negasset. —

Deinde miratur Wilomowitz, unde tela et instrumenta sibi sumat Hercules. Sane quidem nullo loco narrat nuntius, arcum, vectem, ligonem Herculi esse data. Cui tamen licentiae facile equidem indulserim. Nempe apparet, vix potuisse fieri, ut in tali mentis corporisque statu acciperet instrumenta Hercules; quod ante omnia vetabat celerrima singularum imaginum commutatio. Nec vero habebat Euripides, cur vel aliquam impenderet operam huic offensioni tollendae: quippe qui ad populi in theatro sedentis comprobationem hanc furentis Herculis descriptionem institueret. Atqui spectatores consenties non sollicitari eiusmodi dubitationibus talem audientes narrationem.

Quod denique ad servos familiaresque attinet, quos omnino passos esse insaniam Herculis miratur Wilamowitz, equidem non video, quidnam illi peccaverint. Vereor, ne parum vir doctissimus verae furoris formae habuerit rationem. Et restitissent, puto, neque sano neque aegroto hero servi. Servos quis ferat Herculi resistentes? Qui, si de calamitate dubitassent, quo ille domum affecturus erat, fortasse liberos servare conati essent. Sed ne sciebant quidem initio, num vere fureret dominus; sequentes vero partes celerius peragebantur, quam ut succurri posset calamitati.

Quare in singulis de scriptionis partibus vituperandis nimis acerbus mihi videtur existimator. Fateor totius narrationis consilium posse displicere eis, quibus abhorrere videtur



ab arte dramatica tanta veritatis imitatio; in singulis vero narrationis membris nego licere nobis offendere, quas eximia profecto arte ad naturae normas poeta conformavit.

Restat, ut exitum Aiacis Herculisque furoris comparemus.

Atque in Aiace remittit paullatim insaniae impetus reditque mentis sanitas. cf. vs. 306:

ἔμφρων μόλις πως ξὺν χρόνῳ καθίσταται.

Herculis furorem somnus excipit gravis ac profundus abrumpens medium furorem. Solere ita effici sanitatem tribus testimoniis confirmaverim. Hippocrates in aphorismorum libro dicit: *ὅκοι παραφροσύνην ὕπνος παύῃ, ἀγαθόν.*

Cornelius Celsus, de medecina libr. III. cap. 18. de insanientibus scribit: »*Omnibus vero sic affectis somnus et difficilis et praecipue necessarius est; sub hoc enim plerique sanescunt.*«

His adiunxerim unius e recentibus mentis morborum indagatoribus iudicium: E. Kraepelin in libro, quem inscripsit, »Psychiatrie« (Lips. 1889) pg. 249 delirii transitorii, quod vocant, exitum his verbis describit:

Der Abschluss vollzieht sich fast ausnahmslos durch das plötzliche Eintreten eines tiefen und lang dauernden Schlafes, aus dem der Kranke mit dem Gefühl der Abgeschlagenheit, aber bei vollständiger Besonnenheit und meist ohne jegliche Erinnerung an das Vorgefallene erwacht.

Quae omnia quam egregie conveniant cum Herculis post solutam insaniam statu, posthac videbimus. Nunc vero cum Sophocle conferamus Euripidem.

Narrat Tecmessa vss. 305 seqq., quomodo ad se redierit Aiax. Mentis compos factus statim conscius rei actae vehementissimo afficitur dolore. Nullam emittens vocem diu sedet caesis pecudibus circumdatus. Neque tamen plane perspicere videtur, quae facta sint. Verbis enim minacibus Tecmessam iubet exponere, in quanam versetur rerum condicione. Edoctus de toto facinore, quod quidem noverit mulier (cf. vs. 316), summo cruciatus dolore lamenta edit. —

Haec qui legerit, consentiet certe, aliquam dedisse operam Sophoclem, ut paullo accuratius insanientis Aiacis ad sanitatem transitum describeret. Quem tamen longe afuisse, ut veram curaret

mentis status descriptionem, satis habeo eo illustrare, quod Aiax, quamquam nihil de divina insaniae origine a Tecmessa discere poterat, tamen bene est conscius paullo post Minervae calamitatis auctricis (cf. vss. 401 seqq.)

Longe vero aliter Euripides describit Herculem ad sanitatem redeuntem. Neque negabis, mirum in modum hanc descriptionem cum Kraepelini verbis supra exsignatis concinere.

Atque primum in Hercule, finito sopore plane evanuit omnis calamitatis, quae modo accidit, memoria. Versatur enim in ea mentis corporisque confectione, ut nihil initio agnoscens nisi coelum, terram, solem, statim sentiat se ex gravi perturbatione modo se collegisse. Apparent enim in corpore morbi, quo laboravit, clara vestigia velut pulmonis graves necdum ad pristinam constantiam revocati anhelitus. Vides igitur, etiam hic corporis affectiones easque huius morbi proprias ab Euripide describi, omissas prorsus a Sophocle. Pedetentim deinde percipit Hercules, quae circum eum iacent, quae tamen ut vere agnoscat tantum abest, ut cum admiratione quaerat, an iterum in Orcum pervenerit. Deinde vero, cum desperet, se ipsum miram rerum condicionem posse sibi explicare, patrem adit. Qui postquam diu frustra studuit, ut in memoriam filio insanum facinus redigeret, totam denique calamitatem roganti filio exponit. Atque adeo non, dum narrat pater, memoria Herculis restituitur, ut vix credat de patris verborum veritate.

Hoc diverbio clarissime elucere mihi videtur subtile poetae veritatis studium. Quin hoc contendo, non satis posse intellegi hanc scenam, nisi tali consilio usum esse Euripidem sumamus. Habet enim haec quidem descriptio aliquam offensionem, cum sciant spectatores omnes illas res, quas filio tam minutatim frustatimque exponit pater; neque mirarer, si hic adnotasset Wilamowitz, excessisse poetam terminos artis dramaticae legibus circumscriptos.

Universam igitur cum intueor insanae descriptionem non possum concedere Wilamowitzio, ingenii ubertati nimis indulsisse Euripidem, qui, si peccavit, propter nimis accuratam veritatis observationem lapsus est, ita ut descriptionis singularitates, quas notavit Wilamowitz, non tam poetae luxurianti quam naturae perito tribuenda videantur.

Bene autem conscium fuisse sibi Euripidem suae descriptionis veritatis, quamquam satis ex iis, quae hactenus exposita sunt, apparere putaverim, tamen exemplo paullo aliter comparato illustrare liceat. Ultimam enim scenam ad furorem spectantem, qua somno solvitur Hercules, attendas, velim, qua ratione introduxerit poeta. Antecedit Amphitryonis cum choro *κόμμος*, qui vocatur. Audiamus quid sibi statuat pater de sommi, quo tenetur filius, eventu. Admonet chorum, ne excitet Herculem cantu lugubri, his verbis: (cf. vss. 1043 seqq.)

οὐκ ἀτρεμαῖα θρῆνον αἰάξετ' ὦ γέροντες;
ἢ δέσμ' ἀνεγειρόμενος χαλάσας ἀπολεῖ πόλιν
ἀπὸ δὲ πατέρα μέλαθρά τε καταρρήξει.

Incipiente vero expergisci Hercule quantus patrem invadit metus! cf. vss. 1068 seqq.:

φυγᾷ, φυγᾷ, γέροντες, ἀποπρὸ δωμάτων
διώκετε, φεύγετε μάργον ἄνδρ' ἐπεγειρόμενον
τάχα φόνον ἕτερον ἐπὶ φόνῳ βαλὼν
ἀν' αὖ βακχεύσει Καδμείων πόλιν.

Ecce tamen miram inter Amphitryonis exspectationem et verum Herculis ad se redeuntis statum discrepantiam! Quid igitur agit furibundus vir, quem, ne novas perpetraret caedes ad columnam alligavere? — Ne surgere quidem valet!

In his tam manifeste tantaque cum efficacia inter se oppositis certum poetae consilium esse cernendum unusquisque consentiet. Atque nescio equidem, an ea mente ita rem instituerit, ut quasi opponeret suae descriptionis veritatem falsis indocti opinionibus. Hoc certe nemo negabit, Amphitryonis de sommi exitu coniecturis mirifice augeri Herculis expergiscentis, quae sequitur, descriptionis vim ad veram institutae naturalemque morbi formam.

Vides igitur ad id omnia hac in dramatis parte conspirare, ut furoris expressa nobis proponatur imago. —

Transeo ad alteram dissertationis partem, qua de Ione et Oreste esse disputandum supra exposui.

Atque Orestis quidem ad insaniam quattuor pertinent fabulae: Aeschyli Eumenides et Choephori, Euripidis, quae inscribuntur *Ὀρέστης* et *Ἰφιγένεια ἡ ἐν Ταύροις*; Ionis vero furentis uni-

us Aeschyli habemus descriptionem, quae in Prometheo fabula invenitur.

Sunt autem secernenda in Aeschylo duo tractandi genera, specie ea longe inter se diversa, quorum alterum Eumenides, alterum Choephori et Prometheus fabulae repraesentant. Itaque monstrata est disputationis via. Nam apparet exposita demum hac differentia accedere par esse ad Aeschyli cum Euripide comparationem.

Quoniam autem in eandem cadere formam posuimus Orestis in Choephoris, Ionis in Prometheo descriptionem, ab his initium fieri volumus. Atque primum, quomodo Ionis insaniam Aeschylus depinxerit, videbimus. Fabularum argumenta exponere nunc nolo. Hoc tantummodo quaeritur, quae subsit ratio singulis insaniae descriptionibus. —

Dramatis, quod inscribitur *Προμηθεὺς δεσμώτης*, duo huc spectant loci: atque de priore, qui est tertii epeisodii initio, tum exponemus, cum de Furiis ab Oreste sub exitum Choephororum conspectis disputabitur: ad alterum statim accedo, qui pertinet inde a versu 875 usque ad versum 884.

Profert Io repentino insaniae incursu oppressa haec verba:

ἐλελεῦ, ἐλελεῦ.
ὑπό μ' αὖ σφάκελος καὶ φρενοπληγεῖς
μανίαι θάλπουσ', οἶστρου δ' ἄρδις
χρίει μ' ἄπυρος·
κραδία δὲ φόβῳ φρένα λακτίζει.
τροχοδινεῖται δ' ὄμμαθ' ἑλίγδην.
ἔξω δὲ δρόμου φέρομαι λύσσης
πνεύματι μάργῳ, γλώσσης ἀκρατής.
θολεροὶ δὲ λόγοι παίουσ' εἰκῇ
στυγνῆς πρὸς κύμασιν ἄτης.

Hanc insaniae descriptionem qua ratione instituerit poeta, quaerenti statim mirum videbitur, quod Io ipsa quamvis furore oppressa mentis corporisque sui statum describit. Veritatem igitur non curavit poeta, quod ne offendet quidem in Aeschylo. Hanc autem, etsi non assecutus est, tamen adfectasse poetam unusquique sentiet. Quam ad rem quibus subsidiis usus sit, operae pretium est investigare.

Summopere agitatam esse Ionem statim declarat anapaesto-

rum incitatior numerus. Primaiiam vero descriptionis vim in oratione posuit Aeschylus. Instituit autem rem ita, ut post eiulatus voce ἐλελεῦ depictos primo quidem ipsa Io morbum, quo correpta est, propria elocutione, quae tamen audaces inusitatasque locutiones obferat, describat (cf. vss. 876—78), deinde vero ad figuratam transit orationem, qua singulas deinceps insaniae affectiones illustrat.

De cordis vehementi pulsu dicit:

κραδία δὲ φόβῳ φρένα λακτίζει

d[illegible]ulorum motione

τροχοδινεῖται δ' ὄμμαθ' ἑλίγδην

[illegible]o mentis corporisque statu:

ἔξω δὲ δρόμου φέρομαι λύσσης
πνεύματι μάργῳ —

Exit Ionis oratio in haec verba:

θολεροὶ δὲ λόγοι παίουσ' εἰκῇ
στυγνῆς πρὸς κύμασιν ἄτης.

De quibus versibus varie iudicaverunt viri docti.

God. Hermann (ed. tom. II, pg. 134) adnotat: *Hoc dicit; perturbata dicta mea illiduntur (h. e. luctantur) diri fluctibus fati.* Schuetz ita vertit: »*et verba perturbata confusaque incassum ad fluctus acerbae calamitatis illidunt,* (Meine gebrochenen Worte zerschlagen sich umsonst an den Wellen des grausen Verderbens).« additque explicandi causa: »*Significat, querelas, quas vix ore proferre valeat, nihil adversus calamitatem proficere.* Weilius autem sic vertere maluit: »*turbida dicta vagantur inter diros malorum fluctus.*« Idem enim esse dicit παίουσ' εἰκῇ atque παραπαίουσι, modo primitivam huic verbo vim serves. — Longe vero aliter metaphoram intelligi vult Weckleinius, qui in libello, quem inscripsit: »Studien zu Aeschylus« (Berlin 1872) pgg. 8/9. de his versibus ita disserit: »Man wird den Gedanken des Dichters erst dann richtig erfassen, wenn man die Verbindung von bildlichem und eigentlichem Ausdruck sich klar macht: θολερός weist auf den Schlamm hin, welcher durch den Sturm vom Meeresgrunde aufgewühlt wird. — — Wie die wogenden Wellen des Meeres den aufgewühlten Schlamm bald dahin, bald dorthin (εἰκῇ) führen, so werden die an die Wogen des Verderbens schlagenden Reden von denselben plan- und ordnungslos herumgetrieben.« —

Sed vir doctissimus, cum ad unam eandemque spectare imaginem verba θολερός et, quae sequuntur, statuat, non habet me adstipulantem. Nam primum dubitaverim, num Aeschylus, si voluisset talem imaginem proponere spectatoribus, alterum comparationis membrum uno tantum adiectivo fuerit indicaturus. Nam etsi egregie Wilamowitz (Herc. Eur. ed. II, pg. 215) monet: »Der Dichter und sein Volk besassen in ihrer Phantasie eine Fülle von sinnlichen Vorstellungen, welche — — auf eine kurze Andeutung hin ein Vollbild aus sich erzeugten,« — ea tamen diffitear sentiendi mobilitate fuisse Graecos, ut, cum vocem audirent θολερός, statim imaginem sibi constituerent a limo fluctibus permixto repetitam. Atqui instituit certe ita elocutionem figuratam poeta, ut intelligeretur a spectatoribus.

Praeterea confundit hac explicatione duas imagines prorsus inter se diversas. Pergit enim paullo infra his verbis: »Das Denken kann bei dem Irrsinn keine bestimmte Bahn und Ordnung finden und gleicht deshalb in seiner Unklarheit und seinem trüben Wesen dem zwischen den Wellen herumtreibenden Meerschlamm.« Minime autem probabilis mihi videtur comparatio, quae duabus simul imaginibus utatur. Nempe statuit sibi Weickleinius, non id solum his verbis exprimi, Ionis dicta inter diri fati fluctus vagari, ut limus modo huc modo illuc feratur, sed etiam perturbatam Ionis verborum formam conferri cum limi colore. Qua in re errare virum doctissimum sescenta probant exempla, quibus de aqua, quacum permiscetur limus, θολέρος usurpari, non de limo, ut ille voluerat, patet. Hinc facile repetes metaphoricam vocis notionem. Nam cum aqua turbetur et lurida fiat limo excitato, tralate usurpatum valet fere perturbatus, turbidus, confusus, vel, quod Hesychius reddit verbis: ταραχῶδες - - τεταραγμένον (s. v. θολερός). Atque prorsus fefellit virum doctissimum, non limum humo erutum colorem prae se ferre turbatum, sed aquam, qua permixtus est. Optime igitur cum maris aqua, quae e limo sordidum traxit colorem, comparare poterat Aechylus perturbata Ionis verba, minime vero cum limo, quippe qui respondeat insaniae mentem Ionis turbanti. Invertit igitur Weckleinius sanam comparationis rationem.

Negaverim tamen equidem, nostro loco de certa imagine cogitasse poetam vocem θολερός scribentem. Sed meram habe-

mus metaphoram, qua significatur turbata Ionis verborum indoles, quod Hermanus, Schuetzius, Weilius recte viderunt.

Ceteri interpretes recte vocem θολερός ad sequentia trahi noluere. Errat autem Schuetzius in explicando scriptoris consilio, qui, »*significat*« (slc. Io.), inquit, »*querelas, quas vix ore proferre valeat, nihil adversus calamitatem proficere,*« Nam dubitari nequit, quin etiam hi versus ad solam pertineant insaniae descriptionem eandemque atque, qui antecedunt, habeant potestatem. Corporis insania affecti statum eis depingere vult poeta. Quibus quid illustretur, indicant versus proximi verba γλώσσης ἀκρατής, quae iure Weckleinius l. l. adhibet horum verborum explicationi. Nam describitur Ionem prae rabido furoris impetu vocem deficere, quod ex crebis est huius morbi signis. Quam equidem sententiam ita fere circumscripserim: verba mea turbata temere proferuntur, quia dirae insaniae fluctus invicta vi, quacum frustra luctor, in mentem meam irrumpunt. Vides, non ita multum me distare aut a ceterorum interpretum aut a scholiastae interpretatione sic explicantis: τεταραγμένοι δὲ λόγοι ὡς ἔτυχε προσπαίουσι τῷ τῶν κακῶν κλύδωνι, τοῦτ' ἔστιν ὑπὸ ὀδύνης πολλὰ λαλῶ.

Comprehendamus nunc singula, quae de Ionis insaniae observavimus. Deest explicata insaniae imago et ne insanit quidem revera Io, sed ut sana de morbo suo refert, ita ut primum proprie, deinde metaphorice singulos affectus describat. Quae quantum absit a vera insanientis condicione insignissimo testantur exemplo ultimi versus, quippe quibus egregie suis verbis ipsius vocis defectionem depingat. Morbum igitur in aphasia positum diserte describit aegrotans! Vides poetam, non curantem veritatem, inusitata tantum orationis forma singularem Ionis animae indolem satis habuisse leviter notare. Audaci igitur inusitataque orationis forma nos decipere vult poeta, tanquam vere insaniat Io.

Atque de Ione hactenus! Transeo ad Orestis insanire incipientis descriptionem, quae invenitur Choephororum fabulae sub exitum. Agitur de versibus 1018 seqq. qui cum plures habeant et lectionis et sensus difficultates, accuratiorem flagitant tractationem. Versum 1018. codex Mediceus ita exhibet:

ἄλλος ἂν εἰδῇ τοῦτ ἄρ οἶδ' ὅπῃ τελεῖ.

Supervacaneum est omnes emendandi conatus percensere

ὄμματος θράσος παρακρουστικὸν καὶ ἔῤῥιψις καὶ κατάκλασις κακόν — et quae in universum Hippocrates initio praenotionum libri de faciei in morbis acutis mutatione dicit: — — καὶ τἄλλα σημεῖα σκέπτεσθαι [scl. χρὴ] τά τε ἐν τῷ σώματι καὶ τὰ ἐν τοῖσιν ὀφθαλμοῖσιν · ἢν γὰρ — — διαστρέφωνται — — ἢν τὰ λευκὰ ἐρυθρὰ ἴσχωσιν — — ταῦτα πάντα κακὰ νομίζειν · Paullo infra legimus: ἢν γὰρ αἱ ὄψιες πυκνὰ κινέωνται, μανῆναι τούτοις ἐλπίς. —

Vides igitur in Euripidis descriptione vix offensurum esse Hippocratem. Necnon optime ad furentis imaginem quadrat turbidus Herculis risus, de quo legimus in aphorismis: αἱ παραφροσύναι αἱ μὲν μετὰ γέλωτος γιγνόμεναι ἀσφαλέστεραι, αἱ δὲ μετὰ σπουδῆς ἐπισφαλέστεραι. Apparet ex his verbis, medicos Graecos accurate observasse, utrum cum risu an sine risu fieret insania, atque risu prosperiorem statuisse morbi eventum significari. Ceterum Aiax quoque ridet furoris impetu oppressus cf. vs. 303.

Atque de initio insaniae hactenus! Comparemus, qua ratione progredientem morbum uterque descripserit.

Primum igitur eo differunt Aiax et Hercules, quod consilii in illo nulla fit mutatio, sed tenax est eorum, quae sana mente sibi proposuerat, quippe qui inimicos sibi videatur interficere pecudum edens stragem. Hercules vero prorsus abducitur a consilio, quod iam erat efiecturus, mentis alienatione. Omittit sacra parata et inchoata caedemque repente machinatur in Eurystheum, quae cogitatio cum a tota dramatis actione sit alienissima tum discrepat atque pugnat vehementissime cum praesenti eius cura. Subito igitur videmus existere aegroto novas curas, ineptissimas huic temporis momento, quae eum abripiunt ab eo, quod modo sibi proposuerat, ad consilia plane diversa. Idem observavere medici Graeci, quod auctoris de morbo sacro haec docent verba: (cf. L. VI. § 14. pag. 386) τῷ δὲ αὐτῷ τούτῳ καὶ μαινόμεθα (scl. cerebro) καὶ παραφρονέομεν καὶ — — — παρίστανται ἡμῖν — — πλάνοι ἄκαιροι καὶ φροντίδες οὐχ ἱκνεύμεναι — καὶ ἀγωσίη τῶν καθεστεώτων. Mirum quantum cum medici verbis Euripidis conveniat descriptio. Nam etiam Hercules intempestivis fallitur erroribus, ineptis afficitur curis, nescit, quid a sano postulasset praesens tempus. Uterque vero

pariter vanis fallitur imaginibus. Tamen hic potissimum elucet, quantum inter Sophoclis et Euripidis rationem describendi intersit. Aiacis enim mens tota est addicta uni falsae opinioni, intra quam continetur insania. Pro Achaeis pecudes caedit tanquam viros. Atque manet haec opinio, dum levetur morbi accessione.

Longe aliter rem instituit Euripides, non acquiescens simplici Sophoclis ratione. Verum est, Herculem consilio, quod initio mentis alienationis cepit, nusquam discedere; sed quodcunque agit aut patitur, ad Eurystheum refert necandum. At in eo Euripideae rationis egregiam agnosces virtutem, quod in Hercule pro una eaque firmiter menti infixa opinione plures deinceps sibi succedunt vanae imagines prorsus inter se diversae, quae mira profecto cum mobilitate et existunt et evanescunt. Quod quantopere vera cum insaniae forma conveniat et ad huius potissimum furoris generis speciem sit accommodatum, unus ex recentioribus mentis morborum indagatoribus nobis testetur. W. Griesinger in libro, quem inscripsit: »Die Pathologie und Therapie der psychischen Krankheiten. (Braunschwg. 1871) pg. 287 ita disserit de morbo qui vocatur »Tobsucht.«:

»So stellt sich als die hauptsächlichste Anomalie des Vorstellens in der ausgeprägten Tobsucht eine Verworrenheit der Vorstellungen heraus, welche sich als notwendige Folge aus der Übereilung aller geistiger Processe, aus der Unmöglichkeit einer vollständigen Ausbildung der einzelnen Vorstellungen, aus dem schnellen Wechsel der Stimmungen — — — ergiebt. Weder fixe, bleibende Wahnbildungen sind diesen Zuständen eigen, noch werden sie durch ein leidenschaftliches Vorstellen, das aus dem gesunden Leben herübergenommen wurde, beherrscht.« —

Quod iudicium accepturum fuisse Hippocratem, ex his verbis suspicer ad furorem spectantibus: (de morbo sacro. § 14. L. VI. pg. 363). *ἀνάγκη — — μήτε τὴν ὄψιν ἀτρεμίζειν μήτε τὴν ἀκοὴν ἀλλ' ἄλλοτε ἄλλο· ὁρᾶν καὶ ἀκούειν, τήν τε γλῶσσαν τοιαῦτα διαλέγεσθαι, οἷα ἂν βλέπῃ τε καὶ ἀκούῃ ἑκάστοτε.* Tamen Wilamowitzio plura in hac narratione vituperatione quam laude digna visa sunt. Dicit haec vir doctissimus: (cf. Her. tom. II. pg. 224.) »es ist nicht zu bestreiten, dass der Dichter die Anschaulichkeit bis zur Kakozelie getrieben hat. Die beiden Stationen auf der Fahrt nach Mykenae werden lächerlich, zumal wenn

man sich Her. mit der Luft faustkämpfend vorstellt.« Offendit porro eum, quod nec unde Hercules tela habeat et instrumenta, intelligatur satis, nec, qui potuerit fieri, ut Amphitryo et servi nihil succurentes calamitati totam insaniae accessionem peragi paterentur. Itaque hoc fert iudicium de Euripide: »er hat die Üppigkeit seiner Phantasie wild wachsen lassen.« — Percenseamus singula, quae crimini poetae vertit Wilamowitz. Atque primum risum movere dicit cum duas itineris stationes tum certamen Herculis, quo cum aere pugnantem eum faciat Euripides. Prorsus consentio cum Wilamowitzio; atque hoc contendo, vituperanti ei ne ipsum quidem Euripidem oblocuturum fuisse; nam etiam servis ridiculus videtur Hercules. (cf. vs. 940.), ambigentibus, utrum iocetur dominus an insaniat. Est autem notissimum plerumque insaniam aliis esse ridiculam. Dabat igitur hoc veritati, nimium fortasse et quod Sophocles certe sibi negasset. —

Deinde miratur Wilomowitz, unde tela et instrumenta sibi sumat Hercules. Sane quidem nullo loco narrat nuntius, arcum, vectem, ligonem Herculi esse data. Cui tamen licentiae facile equidem indulserim. Nempe apparet, vix potuisse fieri, ut in tali mentis corporisque statu acciperet instrumenta Hercules; quod ante omnia vetabat celerrima singularum imaginum commutatio. Nec vero habebat Euripides, cur vel aliquam impenderet operam huic offensioni tollendae: quippe qui ad populi in theatro sedentis comprobationem hanc furentis Herculis descriptionem institueret. Atqui spectatores consenties non sollicitari eiusmodi dubitationibus talem audientes narrationem.

Quod denique ad servos familiaresque attinet, quos omnino passos esse insaniam Herculis miratur Wilamowitz, equidem non video, quidnam illi peccaverint. Vereor, ne parum vir doctissimus verae furoris formae habuerit rationem. Et restitissent, puto, neque sano neque aegroto hero servi. Servos quis ferat Herculi resistentes? Qui, si de calamitate dubitassent, quo ille domum affecturus erat, fortasse liberos servare conati essent. Sed ne sciebant quidem initio, num vere fureret dominus; sequentes vero partes celerius peragebantur, quam ut succurri posset calamitati.

Quare in singulis de scriptionis partibus vituperandis nimis acerbus mihi videtur existimator. Fateor totius narrationis consilium posse displicere eis, quibus abhorrere videtur

ab arte dramatica tanta veritatis imitatio; in singulis vero narrationis membris nego licere nobis offendere, quas eximia profecto arte ad naturae normas poeta conformavit.

Restat, ut exitum Aiacis Herculisque furoris comparemus.

Atque in Aiace remittit paullatim insaniae impetus reditque mentis sanitas. cf. vs. 306:

ἔμφρων μόλις πως ξὺν χρόνῳ καθίσταται.

Herculis furorem somnus excipit gravis ac profundus abrumpens medium furorem. Solere ita effici sanitatem tribus testimoniis confirmaverim. Hippocrates in aphorismorum libro dicit: ,ὅκοι παραφροσύνην ὕπνος παύῃ, ἀγαθόν.

Cornelius Celsus, de medecina libr. III. cap. 18. de insanientibus scribit: »*Omnibus vero sic affectis somnus et difficilis et praecipue necessarius est; sub hoc enim plerique sanescunt.*«

His adiunxerim unius e recentibus mentis morborum indagatoribus iudicium: E. Kraepelin in libro, quem inscripsit, »Psychiatrie« (Lips. 1889) pg. 249 delirii transitorii, quod vocant, exitum his verbis describit:

Der Abschluss vollzieht sich fast ausnahmslos durch das plötzliche Eintreten eines tiefen und lang dauernden Schlafes, aus dem der Kranke mit dem Gefühl der Abgeschlagenheit, aber bei vollständiger Besonnenheit und meist ohne jegliche Erinnerung an das Vorgefallene erwacht.

Quae omnia quam egregie conveniant cum Herculis post solutam insaniam statu, posthac videbimus. Nunc vero cum Sophocle conferamus Euripidem.

Narrat Tecmessa vss. 305 seqq., quomodo ad se redierit Aiax. Mentis compos factus statim conscius rei actae vehementissimo afficitur dolore. Nullam emittens vocem diu sedet caesis pecudibus circumdatus. Neque tamen plane perspicere videtur, quae facta sint. Verbis enim minacibus Tecmessam iubet exponere, in quanam versetur rerum condicione. Edoctus de toto facinore, quod quidem noverit mulier (cf. vs. 316), summo cruciatus dolore lamenta edit. —

Haec qui legerit, consentiet certe, aliquam dedisse operam Sophoclem, ut paullo accuratius insanientis Aiacis ad sanitatem transitum describeret. Quem tamen longe afuisse, ut veram curaret

mentis status descriptionem, satis habeo eo illustrare, quod Aiax, quamquam nihil de divina insaniae origine a Tecmessa discere poterat, tamen bene est conscius paullo post Minervae calamitatis auctricis (cf. vss. 401 seqq.)

Longe vero aliter Euripides describit Herculem ad sanitatem redeuntem. Neque negabis, mirum in modum hanc descriptionem cum Kraepelini verbis supra exsignatis concinere.

Atque primum in Hercule, finito sopore plane evanuit omnis calamitatis, quae modo accidit, memoria. Versatur enim in ea mentis corporisque confectione, ut nihil initio agnoscens nisi coelum, terram, solem, statim sentiat se ex gravi perturbatione modo se collegisse. Apparent enim in corpore morbi, quo laboravit, clara vestigia velut pulmonis graves necdum ad pristinam constantiam revocati anhelitus. Vides igitur, etiam hic corporis affectiones easque huius morbi proprias ab Euripide describi, omissas prorsus a Sophocle. Pedetentim deinde percipit Hercules, quae circum eum iacent, quae tamen ut vere agnoscat tantum abest, ut cum admiratione quaerat, an iterum in Orcum pervenerit. Deinde vero, cum desperet, se ipsum miram rerum condicionem posse sibi explicare, patrem adit. Qui postquam diu frustra studuit, ut in memoriam filio insanum facinus redigeret, totam denique calamitatem roganti filio exponit. Atque adeo non, dum narrat pater, memoria Herculis restituitur, ut vix credat de patris verborum veritate.

Hoc diverbio clarissime elucere mihi videtur subtile poetae veritatis studium. Quin hoc contendo, non satis posse intellegi hanc scenam, nisi tali consilio usum esse Euripidem sumamus. Habet enim haec quidem descriptio aliquam offensionem, cum sciant spectatores omnes illas res, quas filio tam minutatim frustatimque exponit pater; neque mirarer, si hic adnotasset Wilamowitz, excessisse poetam terminos artis dramaticae legibus circumscriptos.

Universam igitur cum intueor insanae descriptionem non possum concedere Wilamowitzio, ingenii ubertati nimis indulsisse Euripidem, qui, si peccavit, propter nimis accuratam veritatis observationem lapsus est, ita ut descriptionis singularitates, quas notavit Wilamowitz, non tam poetae luxurianti quam naturae perito tribuenda videantur.

Bene autem conscium fuisse sibi Euripidem suae descriptionis veritatis, quamquam satis ex iis, quae hactenus exposita sunt, apparere putaverim, tamen exemplo paullo aliter comparato illustrare liceat. Ultimam enim scenam ad furorem spectantem, qua somno solvitur Hercules, attendas, velim, qua ratione introduxerit poeta. Antecedit Amphitryonis cum choro *κόμμος*, qui vocatur. Audiamus quid sibi statuat pater de sommi, quo tenetur filius, eventu. Admonet chorum, ne excitet Herculem cantu lugubri, his verbis: (cf. vss. 1043 seqq.)

οὐκ ἀτρεμαῖα θρῆνον αἰάξετ' ὦ γέροντες;
ἢ δέσμ' ἀνεγειρόμενος χαλάσας ἀπολεῖ πόλιν
ἀπὸ δὲ πατέρα μέλαθρά τε καταρρήξει.

Incipiente vero expergisci Hercule quantus patrem invadit metus! cf. vss. 1068 seqq.:

φυγᾷ, φυγᾷ, γέροντες, ἀποπρὸ δωμάτων
διώκετε, φεύγετε μάργον ἄνδρ' ἐπεγειρόμενον
τάχα φόνον ἕτερον ἐπὶ φόνῳ βαλὼν
ἀν' αὖ βακχεύσει Καδμείων πόλιν.

Ecce tamen miram inter Amphitryonis exspectationem et verum Herculis ad se redeuntis statum discrepantiam! Quid igitur agit furibundus vir, quem, ne novas perpetraret caedes ad columnam alligavere? — Ne surgere quidem valet!

In his tam manifeste tantaque cum efficacia inter se oppositis certum poetae consilium esse cernendum unusquisque consentiet. Atque nescio equidem, an ea mente ita rem instituerit, ut quasi opponeret suae descriptionis veritatem falsis indocti opinionibus. Hoc certe nemo negabit, Amphitryonis de sommi exitu coniecturis mirifice augeri Herculis expergiscentis, quae sequitur, descriptionis vim ad veram institutae naturalemque morbi formam.

Vides igitur ad id omnia hac in dramatis parte conspirare, ut furoris expressa nobis proponatur imago. —

Transeo ad alteram dissertationis partem, qua de Ione et Oreste esse disputandum supra exposui.

Atque Orestis quidem ad insaniam quattuor pertinent fabulae: Aeschyli Eumenides et Choephori, Euripidis, quae inscribuntur *Ὀρέστης* et *Ἰφιγένεια ἡ ἐν Ταύροις*; Ionis vero furentis uni-

us Aeschyli habemus descriptionem, quae in Prometheo fabula invenitur.

Sunt autem secernenda in Aeschylo duo tractandi genera, specie ea longe inter se diversa, quorum alterum Eumenides, alterum Choephori et Prometheus fabulae repraesentant. Itaque monstrata est disputationis via. Nam apparet exposita demum hac differentia accedere par esse ad Aeschyli cum Euripide comparationem.

Quoniam autem in eandem cadere formam posuimus Orestis in Choephoris, Ionis in Prometheo descriptionem, ab his initium fieri volumus. Atque primum, quomodo Ionis insaniam Aeschylus depinxerit, videbimus. Fabularum argumenta exponere nunc nolo. Hoc tantummodo quaeritur, quae subsit ratio singulis insaniae descriptionibus. —

Dramatis, quod inscribitur *Προμηθεὺς δεσμώτης*. duo huc spectant loci; atque de priore, qui est tertii epeisodii initio, tum exponemus, cum de Furiis ab Oreste sub exitum Choephororum conspectis disputabitur; ad alterum statim accedo, qui pertinet inde a versu 875 usque ad versum 884.

Profert Io repentino insaniae incursu oppressa haec verba:

ἐλελεῦ, ἐλελεῦ.
ὑπό μ' αὖ σφάκελος καὶ φρενοπληγεῖς
μανίαι θάλπουσ', οἶστρου δ' ἄρδις
χρίει μ' ἄπυρος·
κραδία δὲ φόβῳ φρένα λακτίζει.
τροχοδινεῖται δ' ὄμμαθ' ἑλίγδην,
ἔξω δὲ δρόμου φέρομαι λύσσης
πνεύματι μάργῳ, γλώσσης ἀκρατής.
θολεροὶ δὲ λόγοι παίουσ' εἰκῇ
στυγνῆς πρὸς κύμασιν ἄτης.

Hanc insaniae descriptionem qua ratione instituerit poeta, quaerenti statim mirum videbitur, quod Io ipsa quamvis furore oppressa mentis corporisque sui statum describit. Veritatem igitur non curavit poeta, quod ne offendet quidem in Aeschylo. Hanc autem, etsi non assecutus est, tamen adfectasse poetam unusquique sentiet. Quam ad rem quibus subsidiis usus sit, operae pretium est investigare.

Summopere agitatam esse Ionem statim declarat anapaesto-

rum incitatior numerus. Prima iam vero descriptionis vim in oratione posuit Aeschylus. Instituit autem rem ita, ut post eiulatus voce ἐλελεῦ depictos primo quidem ipsa Io morbum, quo correpta est, propria elocutione, quae tamen audaces inusitatasque locutiones obferat, describat (cf. vss. 876—78), deinde vero ad figuratam transit orationem, qua singulas deinceps insaniae affectiones illustrat.

De cordis vehementi pulsu dicit:

κραδία δὲ φόβῳ φρένα λακτίζει

d[illegible]ulorum motione

τροχοδινεῖται δ' ὄμμαθ' ἑλίγδην

[illegible]o mentis corporisque statu:

ἔξω δὲ δρόμου φέρομαι λύσσης
πνεύματι μάργῳ —

Exit Ionis oratio in haec verba:

θολεροὶ δὲ λόγοι παίουσ' εἰκῇ
στυγνῆς πρὸς κύμασιν ἄτης.

De quibus versibus varie iudicaverunt viri docti.

God. Hermann (ed. tom. II, pg. 134) adnotat: *Hoc dicit; perturbata dicta mea illiduntur (h. e. luctantur) diri fluctibus fati.* Schuetz ita vertit: »*et verba perturbata confusaque incassum ad fluctus acerbae calamitatis illidunt,* (Meine gebrochenen Worte zerschlagen sich umsonst an den Wellen des grausen Verderbens).« additque explicandi causa: »*Significat, querelas, quas vix ore proferre valeat, nihil adversus calamitatem proficere.* Weilius autem sic vertere maluit: »*turbida dicta vagantur inter diros malorum fluctus.*« Idem enim esse dicit παίουσ' εἰκῇ atque παραπαίουσι, modo primitivam huic verbo vim serves. — Longe vero aliter metaphoram intelligi vult Weckleinius, qui in libello, quem inscripsit: »Studien zu Aeschylus« (Berlin 1872) pgg. 8/9. de his versibus ita disserit: »Man wird den Gedanken des Dichters erst dann richtig erfassen, wenn man die Verbindung von bildlichem und eigentlichem Ausdruck sich klar macht: θολερός weist auf den Schlamm hin, welcher durch den Sturm vom Meeresgrunde aufgewühlt wird. — — Wie die wogenden Wellen des Meeres den aufgewühlten Schlamm bald dahin, bald dorthin (εἰκῇ) führen, so werden die an die Wogen des Verderbens schlagenden Reden von denselben plan- und ordnungslos herumgetrieben.« —

Sed vir doctissimus, cum ad unam eandemque spectare imaginem verba θολερός et, quae sequuntur, statuat, non habet me adstipulantem. Nam primum dubitaverim, num Aeschylus, si voluisset talem imaginem proponere spectatoribus, alterum comparationis membrum uno tantum adiectivo fuerit indicaturus. Nam etsi egregie Wilamowitz (Herc. Eur. ed. II, pg. 215) monet: «Der Dichter und sein Volk besassen in ihrer Phantasie eine Fülle von sinnlichen Vorstellungen, welche — — auf eine kurze Andeutung hin ein Vollbild aus sich erzeugten,« — ea tamen diffitear sentiendi mobilitate fuisse Graecos, ut, cum vocem audirent θολερός, statim imaginem sibi constituerent a limo fluctibus permixto repetitam. Atqui instituit certe ita elocutionem figuratam poeta, ut intelligeretur a spectatoribus.

Praeterea confundit hac explicatione duas imagines prorsus inter se diversas. Pergit enim paullo infra his verbis: »Das Denken kann bei dem Irrsinn keine bestimmte Bahn und Ordnung finden und gleicht deshalb in seiner Unklarheit und seinem trüben Wesen dem zwischen den Wellen herumtreibenden Meerschlamm.« Minime autem probabilis mihi videtur comparatio, quae duabus simul imaginibus utatur. Nempe statuit sibi Weickleinius, non id solum his verbis exprimi, Ionis dicta inter diri fati fluctus vagari, ut limus modo huc modo illuc feratur, sed etiam perturbatam Ionis verborum formam conferri cum limi colore. Qua in re errare virum doctissimum sescenta probant exempla, quibus de aqua, quacum permiscetur limus, θολέρος usurpari, non de limo, ut ille voluerat, patet. Hinc facile repetes metaphoricam vocis notionem. Nam cum aqua turbetur et lurida fiat limo excitato, tralate usurpatum valet fere perturbatus, turbidus, confusus, vel, quod Hesychius reddit verbis: ταραχῶδες - - τεταραγμένον (s. v. θολερός). Atque prorsus fefellit virum doctissimum, non limum humo erutum colorem prae se ferre turbatum, sed aquam, qua permixtus est. Optime igitur cum maris aqua, quae e limo sordidum traxit colorem, comparare poterat Aechylus perturbata Ionis verba, minime vero cum limo, quippe qui respondeat insaniae mentem Ionis turbanti. Invertit igitur Weckleinius sanam comparationis rationem.

Negaverim tamen equidem, nostro loco de certa imagine cogitasse poetam vocem θολερός scribentem. Sed meram habe-

mus metaphoram, qua significatur turbata Ionis verborum indoles, quod Hermanus, Schuetzius, Weilius recte viderunt.

Ceteri interpretes recte vocem θολερός ad sequentia trahi noluere. Errat autem Schuetzius in explicando scriptoris consilio, qui, »*significat*« (slc. Io.), inquit, »*querelas, quas vix ore proferre valeat, nihil adversus calamitatem proficere,*« Nam dubitari nequit, quin etiam hi versus ad solam pertineant insaniae descriptionem eandemque atque, qui antecedunt, habeant potestatem. Corporis insania affecti statum eis depingere vult poeta. Quibus quid illustretur, indicant versus proximi verba γλώσσης ἀκρατής, quae iure Weckleinius l. l. adhibet horum verborum explicationi. Nam describitur Ionem prae rabido furoris impetu vocem deficere, quod ex crebis est huius morbi signis. Quam equidem sententiam ita fere circumscripserim: verba mea turbata temere proferuntur, quia dirae insaniae fluctus invicta vi, quacum frustra luctor, in mentem meam irrumpunt. Vides, non ita multum me distare aut a ceterorum interpretum aut a scholiastae interpretatione sic explicantis: τεταραγμένοι δὲ λόγοι ὡς ἔτυχε προσπαίουσι τῷ τῶν κακῶν κλύδωνι, τοῦτ' ἔστιν ὑπὸ ὀδύνης πολλὰ λαλῶ.

Comprehendamus nunc singula, quae de Ionis insaniae observavimus. Deest explicata insaniae imago et ne insanit quidem revera Io, sed ut sana de morbo suo refert, ita ut primum proprie, deinde metaphorice singulos affectus describat. Quae quantum absit a vera insanientis condicione insignissimo testantur exemplo ultimi versus, quippe quibus egregie suis verbis ipsius vocis defectionem depingat. Morbum igitur in aphasia positum diserte describit aegrotans! Vides poetam, non curantem veritatem, inusitata tantum orationis forma singularem Ionis animae indolem satis habuisse leviter notare. Audaci igitur inusitataque orationis forma nos decipere vult poeta, tanquam vere insaniat Io.

Atque de Ione hactenus! Transeo ad Orestis insanire incipientis descriptionem, quae invenitur Choephororum fabulae sub exitum. Agitur de versibus 1018 seqq. qui cum plures habeant et lectionis et sensus difficultates, accuratiorem flagitant tractationem. Versum 1018. codex Mediceus ita exhibet:

ἄλλος ἂν εἰδῇ τοῦτ ἄρ οἶδ' ὅπῃ τελεῖ.

Supervacaneum est omnes emendandi conatus percensere

quibus hunc locum tentavere viri docti. Genuina Aeschyli verba felicissime mihi videntur refinxisse Emperius et Martinus, ita constituentes versum:

ἀλλ' ὡς ἂν εἰδῆτ', οὐ γὰρ οἶδ' ὅπῃ τελεῖ.

Quae coniectura et codicis verba exiguo tantum discrimine refert et confirmatur mihi loci sententia. Orestes igitur, postquam uberiore oratione matris necatae choro rationem reddidit, quo magis ad facinus etiam atque etiam animum advertit, eo propius quamvis levibus vestigiis accedere insaniam ipse incipit sentire. Iamque veritus, ne repentino eius impetu opprimatur, exponit, dum sanus est, choro mentis suae statum, quasi refugium vel levamentum quoddam quaerens in describendis miris animi motibus. Aptissime igitur loquentem eum facit poeta:

ἀλλ' ὡς ἂν εἰδῆτ', οὐ γὰρ οἶδ' ὅπῃ τελεῖ.

Quare acquieverim equidem hac versus forma plerisque recentioribus criticis, necnon ipsi Hermanno probata.

Maiores difficultates, qui sequntur, versus, praebent. Pergit Orestes:

vs. 1019: ὥσπερ ξὺν ἵπποις ἡνιοστρόφου δρόμου
ἐξωτέρω · φέρουσι γὰρ νικώμενον
φρένες δύσαρκτοι · πρὸς δὲ καρδίᾳ φόβος
ᾄδειν ἕτοιμος ἠδ' ὑπορχεῖσθαι κότῳ.

In versu 1019 libri exhibent ἡνιοστρόφου, quod mutavit Schuetzius prima in editione in ἡνιοστρόφον; praecunte vero Stanleio, probante Blomfieldio, in secunda posuit ἡνιοστροφῶ. Apparet, omnem huius versus explanandi rationem inde proficisci debere, utrum secudum Robortelli editionem commate post ἐξωτέρω (vs. 1020) sublato in unum redigamus enunciatum verba ὥσπερ etc. usque ad verba φρένες δύσαρκτοι, an cum pluribus editoribus novam incipiamus sententiam a vocabulo φέρουσιν. (vs. 1020).

Atque haec quidem versuum 1019. 20. disiunctio neque paucis neque levibus dubitationibus obnoxia mihi videtur, quamvis probata Wellauero, Dindorfio, Kirchhoffio, Weckleinio aliis. Primum enim patet, nullo pacto verba ὥσπερ ξὺν ἵπποις etc. pendere posse ab iis, quae antecedant, cui coniunctioni leges grammaticae officiunt. Necessario igitur ad coniecturas confugere viri docti, ut verba versus 1019 per se stare possent.

Tres imprimis notandi sunt mutandae codicis lectionis conatus:

Schuetzius in posterioribus editionibus e Stanlei emendatione ἡνιοστροφῶ scripsit; Wellauerus dubitabat, utrum ad analogiam verborum ὑστερεῖν, προτερεῖν, similium verbum esset fingendum ἐξωτερῶ an ponendum ἔξω πτερῶ, quorum neutrum eum in textum recipere esse ausum, non est, cur miremur.

Ex his coniecturis fateor ne unam quidem veritatem mihi videri assecutam esse. Wellaueri enim verba ἐξωτερῶ et ἔξω πτερῶ propterea a limine reicienda sunt, quod alterum nusquam totius Graecitatis nobis occurrit, alterum vero, quoniam πτερᾶν semper aut progredi aut transgredi significet, neque bene hoc loco cum voce ἔξω coniungitur nec aptum praebet sensum. Neque minorem dubitationem tertium mihi movet verbum ἡνιοστροφῶ, quod Schuetzius proposuit. Ut enim usurpaverit omnino Aeschylus rarissimam hanc vocem, quae semel legitur apud Euridem Phoen. vs. 172, adversatur tamen quam acerrime tota loci nostri sententia. Quid enim! Putasne revera de eo, qui perturbati animi motus moderari nequeat, usurpari posse verbum ἡνιοστροφεῖν, quod significat habenas regere? Nonne discrepat vehementer cum tota imagine et cum verbis, quae sequuntur: φέρουσι γὰρ νικώμενον φρένες δύσαρκτοι? Nempe is, qui habenas regere valet, intra curriculi spatium sese continere potest. Immo id ipsum dicere vult poeta, abigi Orestem a certo curriculi spatio non ipsius voluntate sed vi aliqua invicta, cui quamvis resistens cedere debeat. Atque miror, ne Wilamowitzium quidem hoc verbum in textum recipere dubitasse, qui tanta iudicii praestantia de imaginibus in describenda insania adhibitis disseruit.

Iam vero eo pervenimus, ut ad alteram quaestionis partem accedere oporteat, num liceat versus 1019. 20. in unius enunciati formam redigere.

Habet haec coniunctio unam difficultatem eamque haud levem, quod γάρ particula, quae est in versu 1020, longius ab initio totius sententiae remota est. Quae difficultas mitigatur fortasse, non tollitur exemplo, quod Philoctetis obferunt versus 1450/51:

καιρὸς καὶ πλους
ὅδ' ἐπείγει γὰρ κατὰ πρύμναν.

Nam in Hermanni quae ex tragicis attulit, exemplis γάρ parum inusitate collocatum est, quam ut subsidio esse possent nostro loco. Denique eo fortasse excusatur aliquid inusitata par-

iculae collocatio, quod exagitatissime nostro loco insaniens furorem ipse describit. Quare, etsi restat scrupulus, in hac orationis constructione acquiescere malim, quam seiungere versus 1019 et 20. Hoc enim iterum iterumque contendo, ἡνιοστροφεῖν verbum non posse feri hoc loco, quia non potest is, qui perdidit habenas rationis, se ipse dicere habenas regentem. Restat igitur, ut totum enunciatum pendeat a φέρουσι γάρ unumque sit. Tum vero coniungamus necesse est verba ἡνιοστρόφου δρόμου, quae diversis modis explicari possunt. Aam δρόμος et »cursus« significat et »stadium«, — ἡνιοστρόφος autem est »habenas regens.« Atqui non video, cur non etiam ἡνιόστροφος (velut ἀπόστροφος (Ai. vs. 69.) διάστροφος, ὀρείτροφος) formare potuerit poeta, etsi nusquam invenitur. Possunt igitur verba »ἐξωτέρω δρόμου ἡνιοστρόφου« dicta esse de eo, qui »extra cursum habenis rectum« fertur, i. e., qui sine habenis rapitur, quamquam ne haec quidem interpretatio abhorreret ab Aeschylei dicendi genere, ut ipsum stadium dicatur, habenas regens«, quippe in quo frenis utantur quadrigarii. Verterim igitur verba Orestis: turbatus animus quasi cum equis (currus) me rapit extra stadium, in quo solent frenis uti.

Atque difficiliores quidem sunt intellectu versuum, qui sequuntur, metaphorae. Pergit enim Orestes:

πρὸς δὲ καρδίᾳ φόβος
ᾄδειν ἕτοιμος ἠδ' ὑπορχεῖσθαι κότῳ,

quae tamen verba integra manere malim quam mutata ad hodiernam sentiendi consuetudinem accommodari. Nullo igitur pacto Hermanno possum adstipulari Emperii coniecturam κρότῳ pro κότῳ accipienti, cum vox κρότος nusquam apud Aeschylum occurrat et parum habeat coloris prae vivida orationis indole. Ego satis habeo pro ἠδ' legere ἥδ' ab Emperio emendatum, probatum et Hermanno et Wilamowitzio et huius viri sequor explicationem (cf. II. pg. 217). Dicit fere hoc Orestes: Φόβος cantu excitat mentem meam; haec vero saltare videtur truci cantu permota. Comparatur igitur cor primis insaniae vestigiis tactum cum homine saltante, qui temere anfertur tibiarum cantu concitatus. Ceterum respondent hi versus Jonis verbis: κραδία δὲ φόβῳ φρένα λακτίζει. (Prom. vs. 879).

Hanc ineuntis insaniae descriptionem examinanti mihi non ita aliter instituisse videtur Aeschylus atque Jonis furore correptae. Differunt eo, quod hic non subitam morbi accessionem depingit

sed appropinquantis demum insaniae prima et levia vestigia. In hoc tamen mirus apparet utriusque descriptionis consensus, quod Orestes quoque ut sanus de corporis mentisque morbo disputat idque tralata usus oratione: iterumque metaphorarum audacia tota efficitur descriptionis vis. Quamquam longe insignius huius rationis exemplum Promethei versus obferunt supra tractati!

Anteaquam ad reliquas Choephororum et Promethei dramatum partes transeamus, adiunxerim pauca de imaginibus, quae locis modo tractatis nobis occurrerunt.

Tres potissimum obveniebant imagines. Atque de iis quidem, quae ad curriculum vel ad artem musicam spectant, quoniam Wilamowitz egregie disputat vol. II. pg. 215 seqq., disserere nunc nolo. Eam tamen metaphoram, de qua ille tacet, a maris fluctibus repetitam, quae extremis Ionis verbis subest, exemplis paucis liceat illustrare. Saepius insaniae vim cum fluctuum impetu comparant tragici.

Aiax mentis compos factus de pristrino statu dicit vss. 351/52:

ἴδεσθέ μ' οἷον ἄρτι κῦμα φοινίας ὑπὸ ζάλης
ἀμφίδρομον κυκλεῖται.

G. Hermannus hac metaphora cruorem intelligi vult, qua circumdatus sedeat Aiax. Vertit igitur: »videte, quibus me fluctibus modo cruentus aestus circumdederit.« Transtulisse dicit poëtam, cum fluctus deberet cruentos dicere, hoc ad furorem.

Non consentit cum Hermanno Ellendt, qui ad pecudum cruorem non vult referri vocem *φοίνιος* cf. lex. Soph. s. v. *φοίνιος*.

Ego vero neutri sententiae plane sum addictus; quamquam Hermanni multo minus mihi arridere fateor. Neque enim apte ad armentorum cruorem transferri mihi videtur fluctuum aestus. Immo usitata imagine a mari sumpta illustratur haud dubie insania, qua modo correptus fuit Aiax. Neque tamen prorsus cum Ellendtio facio; sed ita disceptaverim inter utrumque interpretem, ut vox *φοίνιος* tralato sensu ad fluctuum aestum pertineat, eadem tamen proprie accepta alludat Sophocles ad cruentam pecudum stragem.

Spectant porro huc eiusdem fabulae versus 216/17. De Aiace Tecmessa dicit:

Αἴας θολερῷ
κεῖται χειμῶνι νοσήσας.

Quam metaphoram ad intelligendam satis est meminisse, quae

de voce θολερός supra exponebantur. Transtulit poeta hanc vocem, quae proprie usurpatur de aqua turbata, ad tempestatem qua fit, ut turbetur mare. Habet igitur vim consecutivam, cum attributa sit ei substantivo, quo causa efficiens continetur. Comparatur vero Aiax furore oppressus cum mari ventis excitato.

Eadem denique imago subest duabus Euripidis metaphoris: Orestes morbi accessione levatus haec dicit:

(cf. Or. 271.) ἐκ κυμάτων γὰρ αὖθις αὖ γαλήν' ὁρῶ.

Hercules de pristino mentis statu dicit: (H. f. vss. 1091/92)

ὡς δ' ἐν κλύδωνι καὶ φρενῶν ταράγματι
πέπτωκα δεινῷ.

Has erui imagines a mari repetitas, inter quas certe numeranda est illa locutio, quam invenimus Eur. Herc. vs. 1189:

μαινομένῳ πιτύλῳ πλαγχθείς.

De qua nuper Wilamowitz doctissima disputatione multa egregie docuit; illud autem non potuit mihi persuadere πίτυλος de insano usurpatum esse numerum, qui non est numerus, sive proprium insaniae numerum. Explicat enim ita hanc vocem vir acutissimus: (cf. tom. II. pg. 202) »π. ist ein onomatopoetisches Wort für das Klatschen (man sagt wohl auch pitschen) des Ruders, wenn es ins Wasser fällt.«

Hinc duplicem repetit metaphoricam notionem; atque de priore prorsus consentio cum viro doctissimo, altera vero, quam nostro loco vindicat, haud parvam mihi movet dubitationem. Disserit enim ita: »Der andere Weg der Metapher geht von der Gleichmässigkeit des Schlagens aus, dadurch wird πίτυλος ganz zum Takte, ῥυθμός.«

Hanc notionem negat Wil. cum nostro loco, quo de insania agitur, discrepare. Ratiocinatur ita: – »Die Handlungen des Wahnsinns gehen eben nicht im Takte, sondern es ist für sie der Widerspruch, die Disharmonie charakteristisch. Darin liegt die Rechtfertigung des Ausdrucks: einen Takt hat auch der Gang des Irrsinns, nur einen diametral verschiedenen, gewissermassen negativen Rhythmus.«

Quae explicatio altius mihi videtur repetita atque hos dum intueor locos:

Herc. fur. 816:

ἆρ' εἰς τὸν αὐτὸν πίτυλον ἥκομεν φόβου.

Iph. Taur. vs. 307:

πίπτει δὲ μανίας πίτυλον ὁ ξένος μεθεὶς — —

non possum ita, ut ille vult, intelligere vocem *πίτυλος*.

Malim equidem aliam sequi rationem. Significat proprie *πίτυλος* aquae strepitum, qui efficitur remis in aqua intinctis. Igitur subest huic voci notio turbandi vel excitandi, quae ad animi insania sive metu affecti statum egregie quadrat. Nam ut aqua remorum motione turbatur, ita affectibus illis excitatur animus. Quocirca sic acceperim Amphitryonis verba, ut depingatur voce *πίτυλος* animi commotio furore affecti. —

Negare autem nolo, nostro loco etiam aliam interpretandi viam patere. Saepissime enim valet *πίτυλος* remigium, quod exemplis illustrat Wilam. l. l.; itaque *μαινόμενος πίτυλος* fortasse significat turbatum remigium, quo fit, ut cursu excutatur navis. Haec imago ad Herculis furorem translata nullam mihi habere videtur offensionem. Ut igitur turbato remigii ordine navis de recto cursu depellitur, ita Hercules insania oppressus a recta via abductus est. Neque dubitarem vindicare nostro loco hanc comparationem, nisi dissuaderent hoc ceteri, quibus eundem deprehendimus vocis *πίτυλος* usum, loci, et alienior mihi esse videretur talis allegoria ab oratione Euripidea.

Post hanc digressionem revertor ad Choephoros fabulam. Cuius de ea parte restat ut disputemus, quae acerrimae inter O. Muellerum et God. Hermannum controversiae praebuit ansam. Dico versus 1045 seqq., quibus de Furiis appropinquantibus Orestes loquitur. Vix exspectabis utriusque viri sententias in accuratius examen me esse vocaturum. Mihi certe adeo videtur diluisse totam Muelleri argumentationem, qua vere adesse iam hoc in dramate Erinyum personas probare studuit, ingeniosissimus ille adversarius, ut acta ageret, qui denuo Muelleri opinionem susciperet refutandam. Sed quamquam in Hermanni argumentatione iure mihi videor acquiescere, tamen alia ex parte infra, quid de Erinyum in scena praesentia sit iudicandum, videbimus. Quantopere enim aliena sit a mente Aeschyli Muelleri suspicio, tum clarissime elucescet, si, qua ratione in Eumenidibus Furiarum personae adhibeantur, quaeremus.

Nunc vero opportunius hanc Choephororum partem cum ea Promethei fabulae scena comparabimus, qua Io ab Argo agitata

describitur. Agitur de Ionis monodia, quae est tertii epeisodii initio. Pauca anapaestis locuta ad dochmios transiens insania se corripi Io clamat. Iamque idem fere describitur atque in Choephoris. Nam ut Ionem Argi perterret imago, atrocis agitatoris, ita Orestem insectantur Erinyes. Nimirum singulis differunt loci; quippe hic iterum habemus repentinae morbi accessionis, illic vero ineuntis insaniae descriptionem. Utroque tamen loco ita rem instituit Aeschylus, ut ei, qui agitari sibi videntur, depingant diram agitatorum vim et speciem, quo continetur tota insaniae descriptio.

Hoc quanti sit momenti ad diudicandam Muelleri et Hermanni controversiam, facile intelliges. Subest igitur eadem ratio utrique insaniae descriptioni. Atqui abest in Prometheo fabula Argi imago, qua terretur Io, neque est nisi in imaginatione mulieris mente alienatae. Hinc satis mihi videtur elucere, non cadere in Orestis furoris descriptionem ipsarum dearum praesentiam —

Atque omnia, quae hactenus de Ionis et Orestis insania sunt disputata, qui consideraverit, cur in eandem cadere formam Choephororum et Promethei fabulae descriptionem initio huius dissertationis partis ponerem, vix negabit rationes me habuisse satis idoneas. Restat, ut enucleemus, qua arte in Eumenidibus furorem Aeschylus descripserit.

Sane quidem viam longe aliam ingressus esse videtur poeta hoc in dramate; quippe qui ipsas Erinyum personas in scenam induxerit.

Nescio tamen, an eiusdem ingenii impressa sis agniturus vestigia etiam hac in descriptione, si qua ratione Aeschylus Furias describendae insaniae adhibuerit, mecum perpenderis.

Sub exitum Choephororum Orestem vidimus primis insaniae initiis vexari. Indicat ipse corporis mentisque sui status fieri mutationem. Sponte igitur fit, ut Eumenidum exordio eum exspectemus Orestem, in quo morbi expressa iam appareant signa. Quod quam false opinemur, statim prologus a Pythia sacerdote recitatus ostendit. Describitur Orestes a Furiis agitatus versibus 40 seqq. Audiamus, quae videat Pythia in interiore templi parte. Narrat haec:

ὁρῶ δ' ἐπ' ὀμφαλῷ μὲν ἄνδρα θεομυσῆ
ἕδραν ἔχοντα προστρόπαιον. αἵματι
στάζοντα χεῖρας καὶ νεοσπαδὲς ξίφος

ἔχοντ᾽ ἐλάας θ᾽ ὑψιγέννητον κλάδον,
λήνει μεγίστῳ σωφρόνως ἐστεμμένον,
ἀργῆτι μαλλῷ. — — —

Vides, ne vestigium quidem apparere mentis turbatae in his verbis. Pergit vero:

(vs. 46 seqq.) πρόσθεν δὲ τἀνδρὸς τοῦδε θαυμαστὸς λόχος
εὕδει γυναικῶν ἐν θρόνοισιν ἥμενος, — — —

sequitur Erinyum visu horribilium descriptio. Atque haec quidem sacerdotis narratio totius Aeschyli describendi rationis, quam hac in fabula secutus est, insigne profecto obfert exemplum. Ut enim Pythia, cum Orestem a Furiis agitatum describit, primum quasi per se tractat Orestem, deinde vero Erinyum horribilem depingit speciem, ita per totum drama separatas prorsus nulloque inter se nexas vinculo opponit inter se poeta Orestis Furiarumque personas. Nullus fabulam perlustranti occurrit locus, quo mente alienatus videatur Orestes. Sed non solum potissima, immo tota amentiae descriptio efficitur Furiarum personis. Nulla igitur morbi cuiusdam indicia in ipso cernuntur Oreste, qui ubicunque in scenam prodit, sanam prorsus prae se fert mentem. Nec vero ullis excitatur animi malis conscientiis propter matris necem, quippe quam ne iure quidem ulcisci ei videantur deae punitrices.

Quaerenti igitur, quae sit ratio huius insaniae descriptionis, sic fere responderim: secernit Aeschylus ab insanientis Orestis mente affectus insaniae, quos quasi in se positos Erinyum personis repraesentat. His continetur furoris descriptio; fac enim abesse eas atque totius Orestis insaniae remanet sane nihil. Hanc poetae rationem si bene habemus perspectam, nullam movet offensionem, quod ipse Orestes prorsus est liber affectibus insaniae morbi propriis.

Jam vero subsistentes paullum iterum ad Od. Muelleri et Hermanni controversiam revertamur. Quorum utrius discedamus in sententiam quamquam satis certum nobis est e comparatione cum Prometheo fabula instituta, nunc vero ne ambigi quidem amplius posse putaverim. Nempe apparet, si vera esset Muelleri suspicio, necessario esse consecuturum, alia ratione in Choephoris, alia longe in Euminidibus easdem Erinyum personas adhibuisse Aeschylum. Illic enim revera Orestis mens perterretur Furiarum dira specie atque ita describitur insania, ut ex ipso Orestis pectore

proveniat. Vides prorsus aliam potestatem hic habere dearum personas quam in Eumenidibus. Quare cum vix sit verisi mile, duplici ratione Aeschylum esse usum, consenties quam alienissimam a mente eius esse Muelleri opinionem.

Denique monuerim, totam huius scenae in spectatorum animis efficaciam tolli vera Erinyum praesentia. Dicit chorus vss. 1048 seqq:

τίνες σε δόξαι, φίλτατ᾽ ἀνθρώπων πατρί,
στροβοῦσιν; ἴσχε, μὴ φοβοῦ νικῶν πολύ.

Cui respondet Orestes:

1050 seqq. *οὐκ εἰσὶ δόξαι τῶνδε πημάτων ἐμοί*
σαφῶς γὰρ αἵδε μητρὸς ἔγκοτοι κύνες.

Quid vero! haec verba num ullam habitura fuissent vim, si iam conspexissent spectatores Furias? Mihi verum poetae consilium assecutus esse videtur G. Hermannus, cum dicit (cf. opp. tom. VI. pg. 135): — »es werden wohl Leute genug einsehen, dass der weise Dichter das höchst tragische Sehen der Furien im Geiste in den Choephoren eben darum erfand, damit das wirkliche Auftreten in den Eumeniden die rechte Wirkung hervorbringen konnte«.

Restat, ut anteaquam ad Euripidem transeamus, quae inter duas Aeschyli describendi rationes intercedat, enucleemus.

Atque specie quidem omnino sunt diversae. Acrius tamen intuentem fallere nequit, quadam ex parte mirum in modum eas concinere. — Instituit enim ubique ita Aeschylus morbi descriptionem, ut non agendo elucescat insania nec omnino in ipso insaniente corporis mentisque affectus appareant; sed mentis semper sunt compotes Orestes et Jo. Neque exceperim eas scenas, quibus vanis imaginibus terrentur. Nam etiam hic concedes revera integram manere mentis sanitatem, quod magis fiet perspicuum comparata Euripidis ratione. Quaesivit igitur Aeschylus externa sibi praesidia, quibus repraesentaret insaniam. Quorum in forma differunt duo descriptionis genera. In Choephoris enim et Prometheo fabulis inusitata quadam orationis forma et metaphorarum audacia illustratur insania, in Eumenidibus vero Erinyum horribili caterva, quibus bene habeas perspectum non eas Aeschylum assignasse partes, ut divini arbitrii gerant personam, sed ut naturalis cuiusdam eiusque ne deorum quidem voluntati obnoxiae potentiae atrocem crudelemque vim ante oculos proponant.

Quae cum ita sint, in eo peculiaris Aeschyli in describenda insania ratio est cernenda, quod separat ab ipsa insanientis persona corporis mentisque affectus et externis quibusdam adminiculis describit.

Hanc autem rationem neque casu poetae nostro esse oblatam, nec vero deliberatam demum aut diligenter perpensam, sponte intelligitur. Immo necessario consequebatur ex universa Aeschyli ingenii natura et artissime cum propria eius sentiendi consuetudine cohaeret. Qui cum omnia vitae humanae »phaenomena« ad divinum arbitrium revocaret, tum mentis alienatae affectus numinum quorundam divinorum vim sibi statuebat manifestare. Quocirca ita instituit insaniae descriptionem, ut non ex hominum mente naturaliter proveniat sed extrinsecus magis invadat homines. Ita plane intelligimus, cur ipsius verbis et Io et Orestes mentis insania turbatae suae statum depingat neque amplius mirabimur, quod in Eumenidibus Furiae totam agunt insaniam. —

Atque de Aeschylo hactenus. Pauca nunc de Oreste ab Euripide descripto disseremus. —

Negasse sibi Euripidem talem insaniae descriptionem, qualem Aeschylus nobis obfert, cum ex iis, quae priore dissertationis parte de Herculis furore exposuimus, in promptu est ratiocinari, tum per se patet. Nempe intelleges, nimis totam Aeschyli rationem cum peculiari eius ingenii natura esse nexam, quam quae exspectari possit ab Euripide ab omni miraculorum opinione alienissimo.

Atque summa quidem totius inter Aeschylum et Euripidem differentiae ea mihi esse videtur, quod veram hic curans morbi descriptionem in ipsa Orestis persona insaniae affectum posuit.

Furiis igitur eum assignabat locum, quem unum in naturali morbi tractatione poterant tenere: tanquam vanae imagines aegrotantem terrent Orestem. Quod egregie depingit poëta Iph. Taur. versibus 273 seqq. Repentino insaniae impetu opprimitur Orestes; a Furia sibi videtur agitari; quam expressis verbis monet poeta perturbatae Orestis mentis esse imaginem, cum dicentem facit nuntium vss. 283 seqq.:

παρῆν δ' ὁρᾶν
οὐ ταὐτὰ μορφῆς σχήματ', ἀλλ' ἠλάσσετο
φθογγάς τε μόσχων καὶ κυνῶν ὑλάγματα,
ἃς φάσ' Ἐρινῦς ἱέναι μυκήματα.

Optime ad falsas Orestis aurium et oculorum perceptiones Hippocratis quadrant haec verba libelli de morbo sacro ad insaniam spectantia: — — *ἀνάγκη* — — *μήτε τὴν ὄψιν ἀτρεμίζειν μήτε τὴν ἀκοήν, ἀλλ' ἄλλοτε ἄλλο ὁρᾷν καὶ ἀκούειν, τήν τε γλῶσσαν τοιαῦτα διαλέγεσθαι, οἷα ἂν βλέπῃ τε καὶ ἀκούῃ ἑκάστοτε.* (cf. L. VI. pg. 368. § 14.)

Tota vero descriptio ita est formata, ut veram habeamus morbi imaginem. Neque aliter est in Orestis fabulae exordio, quod apte comparaveris cum Choephororum exitu; quippe utroque loco Orestis post matris necem status describitur. Ecce vero miram inter Aeschylum et Euripidem differentiam! Paullo post parricidium acuta febri corripitur Orestes. cf. vss. 34/35. Vehementi laborat corporis mentisque confectione. cf. vss. 39 sqq. Modo intermittit, modo increscit morbi impetus.

Nolo tamen totius descriptionis singulas partes persequi, quas ad id omnes conspirare unusquisque consentiet, ut febricitantis hominis expressam videamus imaginem. Redit febris impetus vs. 253, quod indicant haec Electrae verba:

οἴμοι, κασίγνητ', ὄμμα σὸν ταράσσεται,
ταχὺς δὲ μετέθου λύσσαν, ἄρτι σωφρονῶν.

Delirio oppressus a Furiis sibi videtur agitari; quarum unam esse opinatur Electram ipsam, quae manu retinere studet fratrem. cf. vss. 264/65.

Satis igitur patet Aeschyleae rationis nullum hic inveniri vestigium, nisi forte comparaveris, quod etiam in Choephoris Orestes Furiarum terretur imaginibus. Sed hoc interest inter Aeschyli et Euripidis Orestem, quod ille quidem sana fere mente deas ultrices conspicere sibi videtur, hic vero delirio correptus febriculoso. In Aeschyli autem nemini suspicio exsistet velle poetam ita Furias intellegi, ut nihil sint nisi aegrotantis Orestis mentis vanae quaedam imagines; sed praesagit Orestis animus a Furiis se agitatum iri, quas esse revera credit.

Universam denique Euripidis descriptionem indolem optime significant haec G. Hermanni verba, quae leguntur in praefatione ad Orestem fabulam scripta: »Ei homini (h. e. Oresti) assidens soror aegrotumque modo erigi modo reclinari cupientem sedulo curans, spectaculum praebet, quale in quavis domo videre licet,

miserabile quidem sed nihil habens, quod animum aliqua magnae et gravis rei cogitatione erigat.« (cf. Eur. trag. ed. vol. III. p. I. pg. XI.)

Revera enim hominis acuta febri correpti habemus descriptionem, nihil aliud.

Jam vero finem imponamus huic de tragicorum Graecorum in describenda insania arte dissertationi. Scio plura nimis fortasse audacter esse posita, nonnulla vero ne tacta quidem, quae intra disputationis nostrae fines arcessi oporterent. In eo tamen acquiescant, quaeso, quibus parum placeat iuvenile hoc opusculum, quod meliora spondeo, maturiore instructus iudicio et maiore confirmatus eruditione. —

Epimetrum.

In dissertatione cum alios libros Hippocraticos tum de morbo sacro tractatum ad Euripides interpretationem adhibui. Quod cur facere non dubitaverim, breviter exponere opus est.

Miraberis enim fortasse, quid tandem sibi velit cum Euripide compositus Hippocrates. An legisse putem huius scripta poetam nostrum, non curans, quantopere differant aetate. Dein monebis certe, utrum genuini sint, necne, quos adierim, libri, parum me respexisse.

Scio de genuina singulorum, quae Hippocratis nomine feruntur, scriptorum auctoritate valde fluctuare virorum doctorum sententias, imprimis vero, quo potissimum sum usus, de morbo sacro libelli originem Hippocraticam dubitationibus obnoxiam esse haud levibus.

Nolui autem hanc de librorum Hippocraticorum auctoritate quaestionem nunc movere. Nimias enim habet difficultates, quam quae sustineatur a trione, nec omnino ad certum potest perduci finem, quoniam studia, quae in Hippocratis versantur persona scriptisque, idoneis adhuc carent fundamentis. Nostra vero ne interest quidem nimis, utrum ipse conscripserit Hippocrates libros an eorum aliquis, qui ab illo profecti sunt. Hoc enim contendo, quae fuerint Euripidis aetate medicorum Graecorum de mentis morbis sententiae, optime nos discere ex libris Hippocraticis non solum genuinis sed etiam spuriis, quippe qui si non verba, doctrinam saltem nobis tradant ipsius Hippocratis. Genuinos vero, quos adhibui, num legerit ipse Euripides, nolo disceptare. Nam false iudicant, qui eum existiment fuisse Hippocratem, a quo tanquam a patre ea omnia, quae libri Hippocratici contineant, profecta demum et inventa sint. Equidem ad Littréum provoco, virum doctissimum, de Hippocrate ita iudicantem: (cf. L. I. pg. 24/25) — — son mérite dans la science, la raison du haut rang, qu'il

y occupe, la cause de la puissance, qu'il y a exercée, tout cela est dans la force des anciennes doctrines, qu'il embrassa, développa, soutint avec talent, employa avec bonheur et transmit pleines de vie, de force et de profondeur à la postérité. Quae cum ita sint, corpori scriptorum Hippocraticorum iure mihi videor eam attribuere auctoritatem, ut referantur in eo universae potius veteris medicinae Graecae decreta et sententiae.

Tamen libri, qui *περὶ ἱερῆς νούσου* inscribitur, cuius plures vidimus locos mirum in modum cum Euripidis sententiis consentire, quid de auctoritate Hippocratica veteres et recentiones critici iudicaverint, breviter percensere operae erit pretium.

Erotianus nulla ascripta nota ceterorum Hippocratis operum compagini libellum inseruit inter aitiologica eius scripta numerans. Caelius Aurelianus de morb. chron. lib. I. c. IV. § 131 (ed. Amman) expressis verbis Hippocratem declarat auctoram. Dubius vero genuinae libelli originis testis est Galenus. Tres huc spectant loci.

In tertio ad VI. Hippocratis epidem. librum commentario ita disserit Galenus: *τὴν ἐπιληψίαν οἱ παλαιοὶ καὶ μεγάλην νόσον ἐκάλουν καὶ πάθος παιδίων ὥσπερ αὐτὸς ὁ Ἱπποκράτης ἐν τῷ περὶ ὑδάτων καὶ ἀέρων καὶ τόπων — —. ἱερὰν δὲ νόσον ἔνιοι κατὰ ψευδῆ δόξαν ὠνόμασαν, ὡς κἀν τῷ περὶ ἱερῆς νούσου συγγράμματι δεδήλωται.* (cf. Kuehn. II. pg. 341.)

Alter locus exstat in commentario in Hippocratis prognostica primo, ubi haec legimus: *φαίνεται γοῦν ὁ Ἱπποκράτης οὐδὲ καθ' ἓν τῶν ἑαυτοῦ συγγραμματίων εἰς θεούς ποτε ἀναφέρων αἰτίαν νοσήματος, ὅς γε καὶ τοὺς βλητοὺς καλουμένους — — — διῆλθεν ἐν τῷ περὶ διαίτης ὀξέων· τοῦτο μὲν οὖν τὸ σύγγραμμα τῶν ὁμολογουμένων γνησίων ἐστίν. ἐν δὲ τῷ περὶ ἱερῆς νούσου καὶ πλείω γέγραπται πρὸς ἔλεγχον τῶν οἰομένων ὑπὸ θεῶν γίγνεσθαι τὰ νοσήματα. μήτ' οὖν οἰόμεθα τὴν ἐπιληψίαν θεῖον εἶναι νόσημα* — — — (cf. Kuehn. XVIII. II. pg. 18.)

Tertium denique locum invenimus in commentario ad Hippocr. de articulis librum primo. Ad Hippocratis verba: *καλῶς γὰρ Ὅμηρος καταμεμαθήκει* seq. — — haec adnotat Galenus: *πρόβατα οὖν εἶπεν* (slc. Hippocrates) *ἅπαντα τὰ βοσκήματα, καθάπερ ἐν τῷ περὶ ἱερῆς νούσου γέγραπται κατὰ λέξιν οὕτως*

οὐκ ἔστιν ἄλλο πρόβατον οὐδὲν ἢ βόες καὶ αἶγες — — — . *ἐχρήσαντο καὶ ἄλλοι οὕτως τῶν παλαιῶν τῇ φωνῇ*. (cf. Kuehn. XVIII. I. pg. 356.)

Vides igitur, nullo loco disertis verbis ascribi Hippocrati libellum de morbo sacro aut negari auctorem esse medicum celeberrimum: sed dubitasse Galenum de genuina origine, inde fortasse suspiceris, quod passivum semper adhibet, velut *δεδήλωται*, *γέγραπται* —.

Accedit scholion, quod in codicibus et editionibus vulgo legitur ad hunc librum adnotatum, cuius haec sunt verba: (cf. L. VI. pg. 352) *οὐ γνήσιον Ἱπποκράτους τοῦτο λέγει ὁ Γάληνος, ἀξιολόγου δέ τινος ἀνδρὸς καὶ κατὰ τὴν ἑρμηνείαν καὶ τὴν διάνοιαν. Ἱπποκράτους γὰρ δοκεῖ οὐδὲν ἔχειν οὔτε κατὰ τὸν τρόπον τῆς ἑρμηνείας οὔτε κατὰ τὸ ἀκριβὲς τῆς διανοίας.*

Videamus nunc, quomodo recentioris aetatis viri docti iudicaverint de his testimoniis.

Dietz [1]) et Littré neque in scholii acquiescunt auctoritate neque Galeni locos supra allatos genuinam prorsus testari libelli originem existimant. Dietzium, ne ipsi ascribat Hippocrati de morbo sacro tractatum, manifesta quaedam dicendi rationis sollicitat similitudo, quae inter hunc et de natura hominis librum intercedat. Cuius operis cum partem ultimam Polybo tribuant, Hippocratis genero, quem ad dogmaticam scholam perhibeant inclinasse, nostro porro in libro insit quaedam ratio dogmatica, concludit Dietz, si non eundem, eiusdem saltem aetatis virum libellum conscripsisse idque fita, »ut Hippocratem ipsum, si eum auctorem nominare dubitemus, huius libelli non pertaedeıet,si sibi suppositum esse accepisset.« (cf. l. l. pg. 92—93.)

Nec ita multum a Dietzio distat Littré, qui sic iudicat:

»Si donc en acceptant comme véritablement de Galien le jugement, que rapporte la glose citée plus haut, on se refuse à donner à Hippocrate lui-même cette composition, il faudra du moins l'attribuer à quelqu'un de ses disciples les meilleurs et les plus immédiats. —

At acrem in genuinam libelli originem impetum facit Ermerins prolegomenis ad Hippocr. edit. scriptis, scholii nisus auctoritate.

---

[1]) cf. *Ἱπποκράτους περὶ ἱρῆς νόσου βιβλίον* rec. Fr. Dietz. Lips. 1827.

Atqui nego, scholion verum exhibere Galeni de libello nostro iudiciam. De quo accuratius paullo liceat disputare.

Verum esto quod contendit Ermerins, scholii verba solitum referre Pergameni orationis colorem. Id tamen quaero, num verisimile sit ad nostrum librum hanc adnotationem eum scripsisse. Quod ut dubitem, ipsa Ermerinsii argumentatio me invitat.

Spurii de morbo sacro tractatus originem totam fere inde repetit Ermerins, quod Hippocrates in libro, quem de aere, aquis, locis conscripsit, longius disserit de falsis Scytharum de morbi cuiusdam divinitate opinionibus. (cf. proleg. pgg. XXXV seqq.) Hinc igitur ansam sumpsisse sophistam aliquem libellum de morbo sacro ad Hippocratis exemplum componendi; cui materiam suppeditasse satis idoneam eundem de aere aquis locis librum; quae autem de Libycis narret auctor noster, ea sibi statuit Ermerins e deperdita libri illius parte esse sumpta; (cf. pg. LXVIII.) qui quantopere consentiat nonnullis locis cum nostro tractatu, pluribus illustrat exemplis pgg. XXXVI/VII; quae diversa sint, non curavit.

Atque optime quidem magnam inter utriusque libri quosdam locos similitudinem monuit vir doctissimus. Quam ut clare perspicias, potissimos locos adscribam:

de morb. sacr. (L. VI. pg. 394)

— ταῦτα δ' ἐστὶ θεῖα, ὥστε μηδὲν διακρίνοντα τὸ νούσημα θειότερον τῶν λοιπῶν νουσημάτων νομίζειν. ἀλλὰ πάντα θεῖα καὶ ἀνθρώπινα πάντα. φύσιν δὲ ἔχει ἕκαστον καὶ δύναμιν ἐφ' ἑωυτοῦ καὶ οὐδὲν ἄπορόν ἐστιν οὐδὲ ἀμήχανον.

de aere, aquis, locis. (L. II. pg. 76)

ἐμοὶ δὲ καὶ αὐτέῳ δοκέει ταῦτα τὰ πάθεα θεῖα εἶναι καὶ τἄλλα πάντα καὶ οὐδὲν ἕτερον ἑτέρου θειότερον οὐδὲ ἀνθρωπινώτερον. ἀλλὰ πάντα ὅμοια καὶ πάντα θεῖα. ἕκαστον δὲ ἔχει φύσιν τῶν τοιουτέων καὶ οὐδὲν ἄνευ φύσιος γίγνεται.

Conferas porro:

de m. s. § II. pg. 366:

καί τοι εἰ θειότερόν ἐστι τῶν ἄλλων, τοῖσιν ἅπασιν ὁμοίως ἔδει γίνεσθαι τὴν νοῦσον ταύτην καὶ μὴ διακρίνειν μήτε

d. aere, aquis locis pg. 86:

καί τοι ἐχρῆν, ἐπεὶ θειότερον τὸ νόσευμα τῶν λοιπῶν ἐστιν, οὐ τοῖσι γενναιοτάτοισι τῶν Σκυθέων καὶ τοῖσι πλουσιωτά-

χολώδεα μήτε φλεγματώδεα. τοισι προσπίπτειν μούνοισι ἀλ-
— —. λὰ τοῖσιν ἅπασιν ὁμοίως —

Videmus igitur summam horum librorum similitudinem ita, ut aut ab eodem scriptus sit uterque liber aut ex altero alter sua ad verbum sumpserit. Jam vero Galenus, si auctor est scholii, hanc similitudinem ne animadvertit quidem. Scribit enim Ἱπποκράτους γὰρ δοκεῖ οὐδὲν ἔχειν οὔτε κατὰ τὸν τρόπον τῆς ἑρμηνείας οὔτε κατὰ τὸ ἀκριβὲς τῆς διανοίας. Igitur locos illos non potuit legisse. Atqui novit certe Galenus librum de morbo sacro, et si voluisset spuriam probare libelli originem, eadem atque ipsum Ermerinsium via probasset, quem scimus de spuriis libris non solum iudicium ferre velut de tripode, sed accuratius solitum esse inquirere in originem eorum scriptorum, quae abiudicaverat ab Hippocrate. Cuius rei insigne habemus testimonium [1]). De Hippocratico, περὶ ἀδένων οὐλομελίης libro ita disserit Galenus: (cf. Kuehn. XVIII. I. pg 379) τὴν ὁλόκληρον φύσιν τῆς τῶν ἀδένων φύσεως οὐλομελίην εἴρηκεν, (scl. Hippocrates) ἣν ἑτέρωθι διδάσκειν ἐπηγγείλατο. οὐ μὴν διασώζεταί γε τοιοῦτον βιβλίον Ἱπποκράτους περὶ ἀδένων οὐλομελίης ἀλλά τις τῶν νεωτέρων Ἱπποκράτους ἔγραψε μικρὸν βιβλίδιον, ἐπιγράψας, »Ἱπποκράτους περὶ ἀδένων οὐλομελίης«, ὃ καὶ τῇ λέξει καὶ τῇ διανοίᾳ λείπεται πάμπολυ τῶν γνησίων Ἱπποκράτους συγγραμμάτων.

Quare, etsi non liquet mihi, unde ortum sit et quomodo huc devenerit scholion, tamen non possum quin diffetear eius auctoritati cum Dietzio et Littréo.

Neque autem acquievit Ermerius in scholii testimonio, sed alias quaesivit rationis ad impugnandam genuinam libelli originem idoneas.

Atque primum displicet viro doctissimo indoles sophistica, quam deprehendere sibi visus est in ea libri parte, quae est primo in capite inde a verbis καίτοι ἔμοιγε — (L. VI. pg. 358) usque ad extremum caput IV. Exscribere expedit nonnulla, quae sophistam produnt Ermerinsio: de morb. sacro § I. (L. VI. pg. 358) legimus haec:

---

[1]) cf. Broecker: »Die Methode Galens in der ltterarischen Kritik.« mus. Rhen. 40. pg. 430.

καί τοι ἔμοιγε οὐ περὶ εὐσεβείης δοκέουσιν τοὺς λόγους ποιέεσθαι, ὡς οἴονται, ἀλλὰ περὶ δυσσεβείης μᾶλλον καὶ ὡς οἱ θεοὶ οὐκ εἰσίν, τό τε εὐσεβὲς καὶ θεῖον αὐτῶν ἀσεβὲς καὶ ἀνόσιόν ἐστι, ὡς ἐγὼ διδάξω. Εἰ γὰρ σελήνην τε καθαιρέειν καὶ ἥλιον ἀφανίζειν καὶ χειμῶνά τε καὶ εὐδίην ποιέειν καὶ ὄμβρους καὶ αὐχμοὺς καὶ θάλασσαν ἄφορον καὶ γῆν καὶ τἄλλα τὰ τοιουτότροπα πάντα ὑποδέχονται ἐπίστασθαι. δυσσεβέειν ἔμοιγε δοκέουσι καὶ θεοὺς οὔτε εἶναι νομίζειν οὔτ 'εόντας ἰσχύειν οὐδὲν οὔτε εἴργεσθαι ἂν οὐδενὸς τῶν ἐσχάτων, ὧν ποιέοντες πῶς οὐ δεινοὶ αὐτοῖσίν εἰσιν; εἰ γὰρ ἄνθρωπος μαγεύων τε καὶ θύων — — ἥλιον ἀφανιεῖ, οὐκ ἄν ἔγωγέ τι θεῖον νομίσαιμι τούτων εἶναι ἀλλ' ἀνθρώπινον, εἰ δὴ τοῦ θείου ἡ δύναμις ὑπὸ ἀνθρώπου γνώμης κρατέεται καὶ δεδούλωται. — —

Fateor inesse in his verbis rationem sophisticam. Quod tamen nihil valet ad probandam spuriam libelli originem. Nam equidem eandam deprehendi argumentandi rationem in libri vere Hippocratei, qui de aere, aquis, locis inscribitur, ea parte, qua de Scytharum morbo quodam, quem ad deos illi referebant, disserit Hippocrates. Statim enim haec in oculos cadit similitudo, quod etiam hoc loco rationibus refutare studet auctor falsam de divini morborum quorundam origine vulgi opinionem. Has vero rationes magis dignas esse Hippocrate quam illas, quas libri de morbo sacro auctor profert, vix contenderit quisquam. Quid igitur disserit Hippocrates contra Scythas, qui morbum quendam divinitus mitti statuant? Obicit (cf. L. II. pgg. 79/80.) mirum esse, cur divites fere soli in hunc incidant morbum, quippe qui propter divitias multo saepius sacrificent diis quam pauperes. Ergo deorum esse his mittere morbos, parcere vero divitibus, quibus gratias debeant reddere pro sacris honoribusque, quae ab illis acceperint.

Itaque ex ea disputandi ratione, quae in utroque libro eadem invenitur, de utroque fortasse licebit conclusionem, facere libro, non de altero excepto priore.

Deinde genuinum non esse libellum »*κατὰ τὴν ἑρμηνείαν*« probare studet vir doctissimus »Ipsa«, inquit, »oratio Hippocratis opus non esse ostendit, quin certissima putidissimae imitationis locorum Hippocrateorum e libro de aere, aquis, locis obfert exempla «

Primum igitur qua ratione imitationem probet Ermerins vide-

amus. Insigni eam testari exemplo existimat mirum hunc inter duos librorum locos consensum: Hippocrates cum de capitis forma verba faciat, quae in macrocephalis occurrat, exponit primo quidem arte homines ipsos capitum longitudinem auxisse, deinde vero ex crebra hac consuetudine natura eam esse factam. Quod his verbis explicat:

ὁ γὰρ γόνος πανταχόθεν ἔρχεται τοῦ σώματος ἀπό τε τῶν ὑγιηρῶν ὑγιηρός ἀπό τε τῶν νοσερῶν νοσερός· εἰ οὖν γίγνονται ἔκ τε τῶν φαλακρῶν φαλακροί καὶ ἐκ γλαυκῶν γλαυκοί καὶ ἐκ διεστραμμένων στρεβλοί, ὡς ἐπὶ τὸ πλῆθος. καὶ περὶ τῆς ἄλλης μορφῆς ὁ αὐτὸς λόγος. τί κωλύει καὶ ἐκ μακροκεφάλων μακροκέφαλον γίγνεσθαι.

Similiter ratiocinatur libri de morbo sacro auctor naturalem epilepsiae originem his exponens verbis.

Ἄρχεται (sct. epilepsia) *ὥσπερ καὶ τἄλλα νουσήματα κατὰ γένος. εἰ γὰρ ἐκ φλεγματώδεος φλεγματώδης καὶ ἐκ χολώδεος χολώδης γίγνεται καὶ ἐκ φθινώδεος φθινώδης καὶ ἐκ σπληνώδεος σπληνώδης, τί κωλύει, ὅτῳ πατὴρ καὶ μήτηρ εἴχετο τούτῳ τῷ νοσεύματι καὶ τῶν ἐκγόνων ἔχεσθαί τινα: ὡς ὁ γόνος παντόθεν ἔρχεται τοῦ σώματος ἀπό τε τῶν ὑγιηρῶν ὑγιηρός, ἀπό τε τῶν νοσερῶν νοσερός.*

In horum igitur locorum consensu Ermerins putidae imitationis clarum cernit documentum. ‚Manifesto', inquit, ‚furti reus deprehenditur sophista!' — Atque mihi quidem haec ex duobus locis conclusio ne speciem quidem habet veritatis. Primum enim prorsus diversam potestatem habent utroque in libro illae rationes iisdem fere verbis expressae. Nam in altero corporis figurae exponuntur causae, alterius vero auctor falsas de morbi cuiusdam divinitate opiniones refellere studet. Neque negabis, flagitare libri de morbo sacro consilium necessario hancce sententiam, quippe cui ad impugnandam pravam vulgi superstitionem non praesto esset acrius telum quam naturalis haec necessitas, quae inter parentum natorumque valetudinem intercedit. Quare non video cur aliunde esse depromptam hanc sententiam vel ullam habeat veritatem. Accedit porro, quod imitator iste, quem sumit Ermerins, e genuino Hippocratis libro verba nostra exscripsisse, ad id statim transit argumentum, quod artissime cohaereat cum iis, quae antecedunt. Pergit enim auctor de morbo sacro his verbis:

ἕτερον δὲ μέγα τεκμήριον, ὅτι οὐδὲν θειότερόν ἐστιν τῶν λοιπῶν νουσημάτων· τοῖσι γὰρ φλεγματώδεσι φύσει γίγνεται· τοῖσι δὲ χολώδεσιν οὐ προσπίπτει — —

Vides igitur non extrinsecus esse allatam sed disputationis ordini optime insertam furtivam istam sententiam. Quae cum ita sint, putidae imitationis movere suspicionem hunc libri de morbo sacro locum, non possum concedere Ermerinsio. Quin contendere ausim, longe maiorem vim gravitatemque hic habere tale argumentum quam apud tractatus de aere, aquis, locis auctorem.

Atque plane liquent meo iudicio omnia, si utrumque locum pariter ascribimus Hippocrati. Ita enim optime intelligitur et verborum concentus et argumentandi rationis mira similitudo. —

Atque de imitatione ista hactenus. Transeo ad orationem ipsam, quae ut dissimilis simplici ceterorum operum atque nimis abundans ratiociniis cum aliis recentioris aetatis criticis genuinae libelli originis aliquam movit dubitationem, tum spuriam eius indolem diserte testatur Ermerinsio. «In talibus«, inquit, »potius rhetorem ac sophistam audire mihi videor, quam senem Coum.«

Vellem profecto rationem habuisset vir doctissimus eorum, quae Dietz contra similes Gruneri et Halleri rationes disputavit, iu quibus totus fere acquieverim. Suo enim iure dicere mihi videtur (l. l. pgg. 89/90), quod ad stilum attineat, neque par esse e ceterorum Hippocratis scriptorum examine certum de universa eius ratione scribendi stabilire iudicium, et, si qua sit huiusce libelli ab aliorum simplicitate diversitas, eam satis explicari propria argumenti natura. An vis, eundem inesse stilum in libris, quibus vel morborum historiae narrentur vel iudicia praeceptaque medica exponantur, atque in eo, quo morbi cuiusdam iusta curatio acriter a nefariis magorum artibus defendatur et falsae vulgi opiniones impugnentur!

Porro autem in libro de aere, aquis, locis vere Hippocrateo eiusdem orationis generis insignia habemus exempla, quae satis ostendunt, minime ab Hippocrate talia fuisse aliena. Quare cum altero loco toleremus Hippocratis subtilem in vulgi errores argumentationem, non video, cur altero ferre nolimus.

Sequitur alia Ermerinsii dubitatio, quam similem movit

Nasse. Herm. Nasse[1]) enim spurium esse librum nostrum inde colligit, quod quae de cerebro auctor doceat, cum libri de corde auctoris sententia pugnent. Mentis enim sedes expressis verbis in cerebro ponitur a nostro auctore cf. L. VI. pg. 392. Atqui cor esse mentis sedem apud illum legimus. cf. L. XI. pg. 84. Hinc igitur concludit Nasse, de morbo sacro librum multo posteriori aetati esse ascribendum. Quae argumentatio falsa nititur opinione, libri de corde auctorem fuisse Hippocratem. Atqui huncce tractatum ad aetatem pertinere longe posteriorem omnes, quos quidem norim, recentiores critici consentiunt cf. Kuehn Hipp. opp. ed. tom. I. pg. CLVI. Ermerins I, prol. pgg. XXXVIII seqq. Haeser I. pg. 118. Littré I. pgg. 382/83.

Ac longe quidem aliud ex hac opinionum diversitate efficit Ermerins, suspicatus de morbo sacro auctorem legisse libellum qui de corde inscribitur. Comparat vir doctissimus hos locos:

de m. s. (L. VI, pg. 392)

— — — *ἐπεὶ αἰσθάνονταί γε οὐδενὸς πρότερον* (scl. *αἱ φρένες*) *τῶν ἐν τῷ σώματι ἐόντων ἀλλὰ μάτην τοῦτο τὸ ὄνομα ἔχουσι καὶ τὴν αἰτίην, ὥσπερ τὰ πρὸς τῇ κραδίῃ, ἅπερ ὦτα καλέεται οὐδὲν ἐς τὴν ἀκοὴν ξυμβαλλόμενα. Λέγουσι δέ τινες ὡς φρονέομεν τῇ κραδίῃ καὶ τὸ ἀνιώμενον τοῦτό ἐστι καὶ τὸ φροντίζον. τὸ δὲ οὐχ οὕτως ἔχει* — — —

de corde (L. IX. pg. 84)

— *ἀγχοῦ δὲ τῆς ἐκφύσιος τῶν φλεβῶν σώματα τῇσι κοιλίῃσι* (scl. *τῆς κραδίης*) *ἀμφιβεβήκασι* — — *ἃ κληΐσκεται μὲν οὔατα, τρήματα δὲ οὐκ ἔστιν οὐάτων. ταῦτα γὰρ οὐκ ἐνακούουσιν ἰαχῆς· ἔστι δὲ ὄργανα τοῖσιν ἡ φύσις ἁρπάζει τὸν ἠέρα* — —

cf. paullo infra:

γνώμη γὰρ ἡ τοῦ ἀνθρώπου πέφυκεν ἐν τῇ λαιῇ κοιλίῃ (scl. *τῆς κραδίης*) *καὶ ἄρχει τῆς ἄλλης ψυχῆς.*

Non habet me adstipulantem Ermerins, ex his locis licere suspicari, tractatus de morbo sacro auctorem novisse de corde librum. Nempe concedes neutrum locum eam habere speciem, ut ad alterum alter videatur spectare. Sunt enim nexi inter se una de auribus adnotationis communitate. Quod vero ad opinio-

1) cf. de insania comm. cap. I.

num differentiam attinet, dissuadet satis diserte Ermerinsii coniecturam, quod neque verbam φροντίζειν neque ἀνιᾶν apud auctorem de corde leguntur.

Denique vero totum argumentum libelli indignum iudicat Ermerins »summo et ingenioso naturae observatore Graeco.«

Ecce, quantum inter se distent virorum doctorum iudicia. Neminem enim inter ceteros, qui de hoc libro disputaverunt, invenetis, quin laudet valde auctoris ingenium. Omnes vero, qui ascribere dubitavere Hippocrati tractatum nostrum, auctorem sumunt virum haud mediocris ingenii. cf. Gruner cens. lib. Hipp. pgg. 162 72. Dietz pgg. 89/99. Littré. I. pgg. 354/55, alios. Quin Hallerum (artis medic. principes III. 411/12) ne Hippocrati ipsi addiceret libellum, anatomicae auctoris haud parvae scientiae sollicitavere. Haeser denique (Gesch. d. Med. I. pg. 125 et pg. 177/78) prorsus Hippocateam auctoritatem huic tractatui attribuit.

Quae cum ita sint, per se futilis mihi videtur ista Ermerinsii ratio.

Ac ego quidem nescio an commendet Hippocratem auctorem tota libelli indoles. Intendit enim quasi digito nos ad eum artis medicae statum talis epilepsiae tractatio, ubi literis mandata foro primum se committeret nova eaque vera morborum naturae indagatio, quae statim ab initio veteris superstitionis adversaria exstitit quam acerrima, ut stabiliret medicinae auctoritatem ex falsarum vulgi opinionum refutatione putidis magorum artibus decepti. Huc cadere mihi videtur bellicosus ille atque pugnax libelli stilus, quem ut adhiberet invitabant Hippocratem vulgi imperitia et nefaria magorum studia

Sed quamquam plura nobis videntur Hippocratem commendare libelli auctorem, bene tamen habemus perspectum multum abesse, ut difficillimam de genuina libri indole quaestionem absolverimus, de quo certum nequit stabiliri iudicium nisi ex accuratissimo et diligentissimo dicendi generis examine. Hoc tantum profitemur, cur de Hippocrate huius libri auctore dubitemus, nullam adhuc nobis suppeditare rationem satis certam. —

Vita.

Natus sum Hermannus Harries Stolbergensis-Rhenanus pridie Kal. Octobr., anno MDCCCLXIX patre Diterico, cuius praematura morte abrepti memoriam animo grato et pio colo semperque colam, matre Luisa e gente Grotefend. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis sum imbutus in gymnasio Kiliensi, cuius inter praeceptores Niemeyero, gymnasii tunc rectori, Cauero, Jansenio viris doctissimis gratias ago maximas. Vere anni LXXXVII. maturitatis testimonio instructus in Kiliensi academia studiis philologicis et historicis operam dedi. Post duo semestria Bonnam me transtuli ibique in scholis me docuerunt Usener, Buecheler, Nissen, Kékulé, Luebbert, Ritter, Dove, Bender. Vere anni LXXXIX. Kiliam reverso Forchhammerus Foersterus, Blassius benigne mihi concesserunt, ut seminarii philologici per quattuor semestria essem sodalis ordinarius. Praeterea interfui exercitationibus Brunsii philologicis, philosophicis Glogavii et Deussenii, seminariis historicis Schumii et Busoltii. Scholas audivi virorum doctissimorum Blassii, Brunsii, Caueri, Glogavii, Deussenii, Busoltii, Schumii. Quibus cum omnibus gratias agam, tum in perpetuum sum obligatus Brunsio, qui studia mea liberalissime semper adiuvabat. Neque unquam mihi defuit, cum hoc opusculum conscriberem. —

Sententiae controversae.

I.

Sallust. Histor. orat. Lepidi § 20 codicis V. verba: »quam raptum iri licet et quam audeas, tam videri felicem« sic legi volo: »quum raptum ire ei licet et, quam audeat, tam videri felicem.«

II.

Ps.-Xenoph. de republ. Athen. c. II. § 10 legi iubeo: »*καὶ γυμνάσια — — τοῖς μὲν πλουσίοις ἔστιν ἰδίᾳ ἐνίοις, ὁ δὲ δῆμος αὐτὸς αὑτῷ οἰκοδομεῖται παλαίστρας πολλάς.* — — — .

III.

Aristotelis de re publica Atheniensium librum nuper repertum non ab ipso philosopho esse conscriptum iniuria Fr. Cauer[1]) inde concludit, quod cap. 41. (pg. 106) laudare videtur auctor instituta quaedam democratica.

IV.

Anon. *περὶ ὕψους* I. 4 (ed. Jahn-Vahlen) legendum: *πάντη δέ γε σὺν ἐκπλήξει τοῦ πιθανοῦ καὶ τοῦ πρὸς χάριν ἀεὶ κρατεῖ, εἴ γε* — — — , deletis quae post *κρατεῖ* exstant, verbis *τὸ θαυμάσιον.*

V.

Hippocraticum de morbo sacro librum spurium esse et posteriori ascribendum aetati, non probavit Ermerins (cf. Fr. Zach. Ermerins: Hipp. et aliorum medicorum reliquiae proleg. pgg. XXXV seqq.)

---

[1]) cf. Fr. Cauer: Hat Aristoteles die Schrift vom Staate der Athener geschrieben? (Stuttgart 1891, pg. 48 seqq.)

